

JOHANNIS MUSÆI

SS. TH. D. ET PP.

DE

SACRA
COENA,

SININE CORPUS ET SANGVIS CHRISTI

IN EA REALITER PRÆSENTIA?

DISSERTATIO,

QUA

PARTIS AFFIRMATIVÆ PROBATIO,

EX VERBIS INSTITUTIONIS DEDUCTA,

à

JOHANNIS VORSTII

OBJECTIONIBUS ET EXCEPTIO-

NIBUS VINDICATUR.

Anno Christi 1702.

ib . . . diss. A

S . . . 27

Wiss. H. 203. (27.)

~~1702. 54~~

JOHANNIS MUSEI
22. THEATRE

STAGOR
COENNA

EXCIPIT CORPUS ET ANIMUS CHRISTI
IN EN REACTA

DISSE



ARTIS MATHEMATICAE PROBATIO
EXACTISSIMA

JOHANNIS VORSTII
OBJECTIONIBUS ET EXERCITIIS
LIBER VINOCALUR

Anno Christi 1701



DE SACRA COENA,

Sintne corpus & sanguis Christi in ea realiter praesentia?

I.



I. quæ ulla, hæc certe, quæ de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna est, quæstio inter Theologos Protestantés, qui Confessioni Augustanæ invariatae addicti sunt, & Reformatos inde à *Lutheri* tempore acriter disceptata est, illis affirmativam; his negativam partem tuentibus.

II. *Realis* autem præsentia quæ dicatur, ex ipsis vocabus patet; nempe præsentia, quæ reapse & nemine cogitante corpus & sanguis Christi in S. Cœna symbolis panis & vini adsunt, ut eum illis unita communicantium ore accipiantur, illudque comedatur, hic bibatur: non quidem, quod ad præscindendas cavillationes addimus, modo visibili physico & Capernaitico, sed invisibili, supernaturali, humanæq; ratione incognito & incomprehensibili.

III. In adstruenda quæstionis parte affirmativa Protestantés simpliciter nituntur verbis Domini: *Accipite, comedite, HOC EST CORPUS MEUM. Bibite ex hoc (poculo benedicto) omnes, HOC EST SANGVIS MEUS.* Quæ ut indubiè de manducatione & bibitione orali loquuntur, ita si in sua nativâ vi & indole spectentur, id quod ipsi docent, clarissimè significant, nempe hoc, quod accipere & ore corporis comedere Christus jubet, atque ad eò re-

A

ple

ipse praesens esse testatur, esse suum ipsius corpus; & hoc quod de poculo benedicto, itidem ore, bibere jubet, esse suum ipsius sanguinem.

IV. Quod autem ea in sua nativâ vi & indole accipiunt, nec à propriâ illorum significatione se dimoveri, & ad tropicam abduci patiuntur, ad id moventur sequentibus potissimum rationibus.

V. (I) Communis & in ipsâ ratione naturali fundata interpretationis regula est, quod verborum significationi propriâ inhærendum, nec ab ea ad tropicam deflectendum sit, nisi propriam locum habere non posse, ex contextu aut aliunde liquidò constet, atque adeò urgens necessitas ad significationem impropriam descendere cogat. Quæ sicut alias ubique, ita cum primis in iis, quæ res supernaturales concernunt, & ad fidem pertinent, sollicitè observanda est. In his enim causæ deflectendi ad tropos investigatu difficiliores sunt, quam in cæteris, quorum materia subjecta lumini naturæ obvia est, & quæ à propria verborum significatione deflectit, interpretatio est tanto majori cum periculo conjuncta, quanto materia subjecta sublimior est, errorque, qui temerariâ significationis propriæ desertione circa eam committitur, nocentior. Et quia horum ex censu, quæ res supernaturales concernunt, etiam Coenæ Dominicæ institutio est, quippe quâ Dominus, tremendo mysterio, constituit & ordinavit, ut corpus ipsius, in mortem pro nobis traditum, edamus, & sanguinem ejus, pro nobis effusum, bibamus, ad animarum nostrarum salutem: meritò in ejus consideratione pius animus verborum significationi propriâ tantisper insistit, dum causas ad impropriam discedendi, omni exceptione majores, allatas videat. Quamvis verò à Reformatis hæctenus nonnullæ excogitatae & productæ sint,
cogen-

cogentes tamen & quæ plus habeant in recessu, quàm quæ in locis Scripturæ, Christi æternam Deitatem inculcantibus, à *Photinianis* & *Arianis*; & in locis aliis, quæ Trinitatis mysterium concernunt, ab illis & *Sabellianis* urgentur, ut propriam verborum significationem deserendam esse evincant, allatæ ab ipsis nondum sunt, ut inferius ostendetur.

VI. (2) Institutio Cœnæ Dominicæ, post Christi ascensionem ad cœlos, à diversis Scriptoribus Canonicis, temporibus diversis & in diversis locis repetita & in literas relata est. Repetita enim & in literas relata est primùm à *Matthæo*, postea à *Marco*, deinde à *Luca*, & denique à *Paulo*, qui à Christo ipso, jam in gloria sua constituto, eam edoctus fuerat. Quemadmodum autem aliàs sacri Scriptores has matras operas tradiderunt, ut quod alius fortè minùs plenè vel verbis minùs propriis & planis scripsisset, alius plenius, vel, adhibitis verbis propriis, planius exprimeret: ita si verbis: *Hoc est corpus meum*; *Hoc est sanguis meus*; non id, quòd proprie accepta important, sed hoc significari Dominus voluisset, sui corporis & sanguinis signum esse, quod edere & bibere nos velit, vix est, ut tot Scriptores Canonicos, qui eandem sacra Cœnæ institutionem datâ operâ & ex instituto descripserunt, id tacituros fuisse credamus; nec unum futurum, qui sensum hunc planius & verbis propriis exprimeret. Tacuerunt autem de eo omnes, nec quisquam illorum, non ipsum corpus Christi, sed ejus signum tantùm edi, non ipsum ejus sanguinem, sed illius signum tantùm bibi, in narratione institutionis vel verbo significavit.

VII. inter illos: uti dictum, primus *Matthæus* fuit, testis *αὐτόπλητος* eorum, quæ in institutione S. Cœnæ à Christo gesta & dicta sunt: cujus *cap. XXVI. 26. seqq.* hæc sunt ver-

A &

b.:

ba: *Jesus cum accepisset panam, & benedixisset, fregit eum, deditque discipulis, & ait, Accipite, comedite: hoc est corpus meum. Et accepto poculo, ac gratias actis, dedit eis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hoc est enim sanguis meus, Novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Eum annis aliquot post secutus est Marcus, qui licet Cœnæ institutioni non ipse interfuisset, tamen iisdem ferè verbis, quibus Matthæus, eam consignavit. Ita enim ille cap. XIV. 22. seqq. Cum accepisset Jesus panam & benedixisset, fregit deditque eis, & ait, Accipite, edite hoc est corpus meum. Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. Et dixit eis, Hoc est sanguis meus Novi illius testamenti, qui pro multis effunditur. Hosce sequuti sunt Lucas & Paulus, quorum neuter primæ interfuit Cœnæ, & quæ à Christo dicta & gesta sunt, coràm audivit, & vidit, sed Paulus institutionem ejus ac ipso Domino; Lucas verò ab illis, qui à principio spectatores & ministri sermonis fuerunt, h. e. Apostolis accepit. Uterque tamen in ejus narratione ferè iisdem utitur verbis. Apud Lucam in Historia Evangelica cap. XXII. 19. & seq. ea ita habent: Et accipio pane, cum gratias egisset, fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. Itidem etiam (dedit eis) poculum, postquam cœnâisset, dicens, τὸ τοῦ ποτῆριου, ἢ καὶ τὸ διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυμένον, i. e. Hoc poculum (est) novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur. Apud Paulum verò in I. Cor. XI. 23. seq. leguntur hæc: Ego accepi à Domino, quod & tradi di vobis, Dominum Jesum eâ nocte, quâ proditus est, accepisse panem: & gratias actis, fregisse, ac dixisse, accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei commemorationem. Itidem & poculum, postquam cœnâisset, dicendo. Hoc poculum est Novum illud testamentum in meo sanguine: hoc faci-*

facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

VIII. De corpore Christi, uti patet, uno ore iisdemq; verbis omnes loquuntur: *Accipite, inquentes, comedite, hoc est corpus meum*; & significant, hoc quod, porrecto pane benedicto, Dominus accipere & comedere jubet, esse ipsum ejus corpus. Et ne quis de alio, quam proprio ejus corpore id dictum putet. *Lucas & Paulus* adjectâ periphrasi: *quod pro vobis datur, sive frangitur*; idem illud corpus Christi esse, quod pro nobis crucifixum & in mortem datum est, declarant. De eo autem, quod Reformati dicunt, non Christi corpus, sed tantum ejus signum esse, quod edere jubemur, omnes silent.

IX. De sanguine Christi autem paulò aliter loquuntur *Matthæus & Marcus* aliter *Lucas & Paulus*, si ipsorum verba spectes, sed si ad rem significatam respicias, idem sentiunt & dicunt omnes, atque eò pariter collineant, ipsum Christi sanguinem, non ejus signum tantum esse, quod, gratis actis, bibere de poculo jubemur. Et illi quidem verbis conceptis id enunciant, dum Christum, accepto poculo, & gratis actis, dixisse referunt: *Hoc (intellige quod de poculo hoc vos bibere jubeo) est sanguis meus Novi testamenti, qui pro multis effunditur, & quidem, ut Matthæus subjicit, in remissionem peccatorum.* Hi verò, etsi de poculo in casu recto pronunciant, quòd sit *Novum illud testamentum*, tamen per adjectum *Εγὼ διορισθὲν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι*, in meo sanguine; non in alio constituunt causam, quam obrem id *Novum testamentum* sit, quàm in sanguine Christi, quo illud testamentum novum sancitum est, præpositione *ἐν* pro *διὰ* positâ, & causam denotante, ut *novum testamentum* sit & dicatur per vel propter sanguinem Christi, qui est sanguis ille novi testamenti: quia quod de eo bibitur, est illa Christi sanguis, qui est sanguis novi testamenti, effusus pro multis in remissionem peccatorum.

rum, ut *Matthæus* & *Marcus* dicunt. *Sanguis Christi* ergò, etiam juxta *Lucam* & *Paulum*, bibitur de poculo hoc, qui proinde, dum poculum hoc dicunt novum illud testamentum in sanguine Christi, implicite & quoad rem etiam fatentur, hoc quod de poculo illo bibitur, esse sanguinem Christi, qui est sanguis ille novi testamenti. Quò faciunt etiam verba, à *Luca* subjecta τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκ χυνομένου, pro vobis effusum: quæ si, ut constructio Grammatica requirit, ad poculum referantur, dicitur poculum hoc effusum pro nobis, sensu eodem, quo *Novum testamentum* dicitur, nempe quòd sanguinem Christi, qui est sanguis novi testamenti, pro nobis effusum, contineat, ut verba prædicta: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκ χυνομένου, ad sanguinem Christi tandem deveniant, cui pro nobis effusum esse, propriè & formaliter convenit.

X. (3) Præterea doctrinæ hujus meminit *Paulus* etiam *I. Cor. X. 16.* ut & in citati capitis *XI. v. 27. 28.* sed neutro in loco significationis impropriæ, in verbis institutionis admittendæ, causam ullam subinnuit. Et *cap. XI.* quidem *v. 27.* ex repetitâ institutione per consequentiam infert, quòd quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus teneatur corporis & sanguinis Christi. Nam vocula ὅτι hic illativa est, & respectum importat ad præcedentem institutionem Cœnæ, quâ pro inde rationem concludendi contineri oportet. Ea verò non alia, quàm hæc inde elici potest, quòd quisquis edit panem hunc, & bibit poculum Domini, edat corpus Christi, bibatque ejus sanguinem, vi verborum: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum hoc poculum est Novum testamentum in sanguine meo, sive, ut Matthæus & Marcus habent: Hoc est sanguis meus novi testamenti.* Reus ergo tenetur corporis & sanguinis Christi, quia indignè edendo panem hunc, & bibendo poculum Domini indignè, etiam corpus Christi indignè edit, ejus.

ejusque sanguinem indignè bibit. Et, v. 29. scribit idem: *Qui edit (panem hunc) & bibit (poculum hoc) indignè, damnationem sibi ipse edit & bibit.* Quamobrem verò sibi ipsi damnationem edat & bibat, qui indignè & bibit, causam statim subjungit: *Non, inquiens, discernens corpus Domini.* Ergò qui edit panem hunc indignè, ipsum corpus Domini indignè edit: cum ratio, cur corpus Domini non discernat, non alia in contextu Paulino appareat, quàm quòd ipsum corpus Domini indigne edat.

XI. Praecedente autem cap. X. 16. laudatus Apostolus, poculum benedictionis, cui benedicit sacerdos, dicit communicationem sanguinis Christi, dubio procul, quòd id quod de eo bibimus, sit sanguis Christi, sive, ut ipse loquitur, quòd sit *Novum illud testamentum in sanguine Christi.* Et panem benedictum dicit communicationem corporis Christi: quia quod, eo dato & accepto, comedere jubemur, est corpus Christi, & qui illum comedunt, corpus Christi comedunt, ejusque participes fiunt. Alia enim ratio nec in Paulo nec in Luca, Matthæo aut Marco apparet. Quæ rursus omnia cum tradito à nobis sensu verborum institutionis exactissime conveniunt: sensus autem oppositi, quem Reformati tradunt, quòd scilicet non corpus & sanguis Christi, sed illorum signa tantùm sint, quæ acceptis pane & vino, accipimus, edimus & bibimus, nullum præbent documentum.

XII. (4) Denique verba institutionis sunt verba testamenti, quibus Christus, instante jam mortis horâ, suam ultimam voluntatem nobis testari, suumque corpus edendum, & sanguinem suum bibendum, in salutis medium & pignus, legare voluit: sicut etiam in illis *testamento* nomen expressè adhibitum legimus, cum institutionem Calicis ita descriptam legimus: *Bibite ex eo omnes, hoc est sanguis meus NOVI TESTAMENTI, qui pro vobis effunditur*

XIV

*etur in remissionem peccatorum, Matth. XXVI. 27. & Marc. XIV. 23. Item: Hoc poculum est NOVUM TESTAMENTUM in sanguine meo, Luc. XXII. 21. I. Cor. XI. 24. Quin & Auctor Epistolæ ad Ebraeos cap. IX. 15. Christum dicit mediatorem NOVITESTAMENTI; & rationem testamenti, propriè sic dicti, expressè ad ejus accommodat testamentum, quod sanguine ipsius, pro nobis effuso, sancitum est: Testamentum, inquit, in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet, cum vivit testator. Nullibi autem verborum proprietati & perspicuitati sollicitudine majori impendi opera solet, quàm in testamento, quo suam voluntatem ultimam testator manifestat, ne fortè per obortas ex verborum obscuritate lites ipsius voluntas ultima mutetur, & quod fieri cupiebat, non fiat, aut aliud fiat. Unde si contingat, ut super verbis testamenti oriantur lites, etiam leges civiles illorum significationi propriæ, quoad citra manifestam falsitatem fieri potest, strictè & tenaciter in hæerere jubent. Multò minùs autem de Christo, qui & sapientia & veritas est, pius aminus præsumet, quòd in condito à se testamento, & quidem in ejus verbis substantialibus: *Hoc est corpus meum; hoc est sanguis meus*, impropriè loqvutus sit, & per verborum improprietatem atque obscuritatem commiserit, ut tot litium & rixarum materia esset testamentum suum, quod mutui inter fideles amoris & concordiaë tesseram esse voluerat.*

XIII. Hæ potiores rationes sunt, quibus inducti Protestantes in proprietate verborum: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*; tantisper subsistunt, dum causas ad significationem tropicam discedendi, irrefragabiles & prorsus convincentes allatas videant. Quæ fusiùs pertractatæ extant apud Chemnitium in libello erudito, qui est de fundamentis SS. Cœnæ, cap. VII. & seqq.

XIV. Re,

XIV. Reformati verò propositæ suprà quæstionis: *An corpus & sanguis Christi realiter præsentia sint in SS. Cœna?* negativum partem propugnaturi, discedunt à propria verborum: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus;* significatione, & ad tropicam deflectentes, in assignanda tropi sede, reddendisque causis varii sunt, quibusdam in *subjecto*; aliis in *prædicato*, nonnullis in *copula* aliquibus in *integra propositione* tropum constituentibus: & similiter aliis has, aliis alias causas, cur à significatione propriâ recedant, adferentibus. Omnium adducere & expendere opiniones prolixum nimis, & quòd ab aliis productæ & excusæ sæpè fuerint, lectori tædiosum foret. Quapropter ea saltem nunc adferemus, & expendemus, quæ *Johannes Vorstius* postquam à nobis ad Reformatos discessit, hoc & superiori anno, editis diversis scriptis, hanc in rem disseruit, forsàn ne Ecclesiam nostram & cum ea dogma de reali præsentia corporis & sanguinis Christi, antè à se comprobatum & creditum, temerè desertisse videretur. Neq; tamen ordine omnia, quæ vel pro suâ inculcat opinionione, vel contra nostram objicit sententiam, producemus & excutiemus: nam & hoc justo prolixius & tædiosum futurum esset; sed potiora saltem, & quibus ipse plurimum tribuere roboris videtur.

XV. Cæterùm summam nostræ, ex verbis institutionis deductæ, probationis, quâ controversæ quæstionis affirmativam stabilitum imus, in *Tractatu de Usu principiorum Rationis in controversis Theologicis*, elapsis abhinc octodecim annis edito, & *Nicolai Vedelii Rationali Theologico* opposito, lib. II. c. XV. §. XXI. huic incluseram syllogismo:

Id quod in SS. Cœnâ exhibetur ore Corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in SS. Cœnâ.

B

Id quod

Id quod in SS. Cœna exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi.

Ergo Corpus Christi est realiter præsens in SS. Cœnâ. Major, inquit, propositio sine contradictione negari non potest. Minor in verbis institutionis Cœnæ ita clarè continetur, ut syllogismo eam probare supervacaneum sit. Ex abundante tamen argumentum sic formamus: De quo Christus dicit: hoc est corpus meum, illud est corpus Christi. Atque de illo, quod in SS. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, dicit Christus: Hoc est Corpus meum. Ergo id quod in SS. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est Corpus Christi. Major nititur infallibili veritate Christi. Minorem suppeditant, verba institutionis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quæ non de alio, quàm de illo loquuntur, quod in SS. Cœnâ ore corporis manducandum exhibetur, & à communicantibus accipitur & comeditur.

XVI. Quamvis verò tum mihi animus non esset, controversiam de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in SS. Cœnâ pertractare, neque eo fine syllogismum hunc, cum probatione præmissarum adjectâ, attulissem, sed ut in Reformatorum processum disputandi præposterum, quo communiter in controversiâ prædictâ utuntur inquirerem, eosque principiis rationis, quibus negativam, quam amplectuntur, partem adstruere, & affirmativam, quam nos amplectimur, impugnare satagunt, eos abuti ostenderem; quod ibidem §. XXII. monueram: Vorstius tamen ratus, dogma de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ non continere in Scripturâ, neque αὐτολεξεί & totidem verbis, neque κατὰ διάνοιαν & per bonam consequentiam, in Sacrarum, quas vocat, Dissert.

bonph

Dissertationum lib. III. cap. XIV. eum sibi confutantum
sumsit.

XVII. Ejus verba pag. 172. & seqq. habent ita: *Alius vir clarissimus, & quidem Joh. Musæus in libro secundo de usu principiorum rationis in controversis Theologicis, cap. XV. pro τὸ πρῶτῳ, ut vocant, argumentatus sic est: Id quod in S. Cœnæ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur, & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Id quod in sacrâ Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. E. corpus Christi est realiter præsens in S. Cœnâ.* Hunc syllogismum vendit *vir. Cl. pro syllogismo tertiæ figuræ: ut facile apparet ex prosyllogismo, quem subjecit. Hujus enim conclusionem facit ipsum illud, quod syllogismi propositionem minorem fecerat; videlicet, Id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi.* At scire debebat, syllogismum quem protulit non tertiæ, sed primæ figuræ esse. Nimirum propositionis minoris partes transpositæ sunt, & ordo naturalis earum partium hic est, Corpus Christi est id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. Sic & supra in cap. X. lib. I. ostendimus, Gerhardum syllogismum formasse istiusmodi. Quod super Joh. descendit, est Spiritus sanctus. Columba est illud quod super Joh. descendit. Ergo columba est Spiritus sanctus; & propositionem majorem, Quod super Joh. descendit, est Spiritus sanctus, posuisse pro eo quod dicendum esset Spiritus S. est id quod super Joh. descendit. Et syllogismi Gerhardiani quidem propositio major si in ordinem redigatur, apparet ipsum syllogismum pudendo vitio formæ laborare. At ejus Syllogismi, quem Musæus fecit, si propositio minor in ordinem redi-

gatur, & partes ejus ordine naturali ponantur, ipse Syllogismus tamen vitio formæ non laborat; sed primæ figuræ Syllogismus exit istiusmodi: Id quod in sacrâ Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Corpus Christi est illud quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. E. corpus Christi est realiter præsens in S. Cœnâ. Subjectum propositionis minoris corpus Christi est individuum; ac proinde non prædicatum enunciationis esse potest; sed oportet ut sit subjectum: quemadmodum eandem ob causam in Syllogismo Gerhardi Spiritus S. non prædicatum enunciationis esse poterat; sed erat ipsum subjectum. Quod autem subjectum propositionis minoris ipse Musæus fecerat, id aliquid universale est, quemadmodum & subjectum propositionis majoris est istiusmodi universale. Si igitur signum universalitatis, uti par est, ut major, ita & minori propositioni adjiciatur, ipsius propositionis, minoris quam Musæus fecerat, falsitas inde apparebit. Habebit autem syllogismus sese hunc in modum: Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, id est corpus Christi. E. corpus Christi in S. Cœnâ præsens est. Minorem quæ nunc apparet, ne ipse quidem Musæus veram dicet; sed fatebitur, credo, in S. Cœnâ etiam panem ore corporis manducandum exhiberi. Quid si verò illa medela adhibeatur, quam supra nos adhibuimus, & partes propositionis minoris naturali ordine ponantur? Ita quidem syllogismus, ut dixi, se habebit: Quicquid ore corporis manducandum in S. Cœnâ exhibetur, & à communicantibus accipitur atque comeditur, id est præsens in S. Cœnâ.

11128

8

Corpus

Corpus Christi est id quod ore corporis manducandum
 in S. Coenae exhibetur, & à communicantibus accipitur
 & comeditur. E. Corpus Christi est realiter praesens in S.
 Coenâ. Ad hunc modum igitur si syllogismus proponatur, ad
 probandam propositionem ejus minorem nihil faciet prosyllogis-
 mus iste quem Musæus adjecit. Habet ille sic: Illud de quo
 Christus dixit Hoc est corpus meum est corpus Christi.
 Atqui quod in S. Coenâ exhibetur ore corporis mandu-
 candum, & à communicantibus accipitur & comeditur,
 est illud de quo dixit Christus, hoc est corpus meum. E.
 Id quod in S. Coenâ exhibetur ore corporis manducandū,
 & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus
 Christi. Prosyllogismi hujus conclusio à propositione minore syllo-
 gismi, cum qua deberet esse eadem, plane discrepat. Si vero ipsius
 quoque conclusionis istius partes ordine naturali ponantur sic,
 Corpus Christi est id quod in sacra Coenâ exhibetur ore
 corporis manducandum, & à communicantibus accipi-
 tur & comeditur, tum forma prosyllogismi plane nulla est.
 Nam subjectum conclusionis corpus Christi, quod debebat ter-
 minus minor esse, occupat etiam locum praedicati propositionis
 majoris, id est, termini majoris. Ceterum ipsa quoque propo-
 sitio major partes habet transpositas, & ordini naturali partes
 istae debent sic consistere, Corpus Christi est illud de quo
 Christus dixit Hoc est corpus meum. Quae propositio pre-
 terca & falsissima est. Non corpus Christi est illud de quo Christus
 dixit. Hoc est corpus meum; sed panis Eucharistiae est illud. De
 pane Eucharistiae dixit Christus, Hoc est corpus meum. Nam
 ut in libro primo demonstravimus, verba Hoc est corpus
 meum, nihil aliud sibi volunt quam si dictum esset, Hic panis
 est corpus meum. Atque ita de ipso pane est dictum quod sit
 corpus Christi. Inquam sententiam rectè, ut supra in cap. VII.
 libri primi diximus, Chemnitius: Qualis sit praedicatio,
 B 3 quan-

quando de pane Cœnæ prædicatur, quod sit corpus Christi, & de vino Cœnæ Dominicæ, quod sit sanguis Christi, Quoniam igitur apparet, propositionem minorem prædicti syllogismi per profyllogismum illum quem Musæus addidit, nihil minus quam probatum esse, longiore super ea sermone nec est opus. Aliis omnino profyllogismis opus fuerit, si credendum sit, quod Vir Cl. credit, corpus Christi esse illud quod in S. Cœnâ ore comedendum exhibeatur, atque adeò ore & comedatur.

XIIX. Hæc Vorstius: quibus eò collineat, ut syllogismum allatum in formâ non rectè habere evincat. Quæ autem objicit & urget, ad duo redeunt capita. Unum: Syllogismum illum venditari à me pro syllogismo tertiæ figuræ, cum tamen non tertiæ, sed primæ figuræ sit: partes enim propositionis minoris esse transpositas; quæ si in ordinem redigantur, ut quod subjectum est, prædicatum, & quod prædicatum est, subjectum fiat, minorem propositionem sic habituram: *Corpus Christi est id, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur.* Ita autem profyllogismum adjectum ad ejus confirmationem nihil facturum. Alterum: Si etiam is pro tertiæ figuræ syllogismo habeatur, præmissas tamen destitui signo universalis. Quod si, uti par sit, ut majori, ita & minori addatur, minorem propositionem evasuram falsam. Syllogismum enim proventurum hunc: *Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, id est corpus Christi. Ergo corpus Christi in S. Cœnâ realiter præsens est.* Minorem, inquit, quæ nunc apparet, ne ipse quidem Musæus veram dicit; sed fatebitur, credo, in S.

do, in S.

do, in S. Cœnâ etiam panem ore corporis manducandum exhiberi. Quæ priòs excutienda hîc veniunt, quam ad alta progrediamur. Ubi enim formæ bonitas evicta & ab his exceptionibus vindicata fuerit, probatio nostra stringet dissentientes fortius, & nostræ sententiæ veritatem solidius demonstrabit.

XIX. Ut ergo à priori ordiamur objectione, syllogismum nostrum non tertiæ, sed primæ figuræ; & propositionis minoris partes transpositas esse, ostendit Vorstius ita: Corpus Christi, quod prædicati locum in ea obtinet, est individuum ac proinde non prædicatum enunciationis esse potest, sed oportet ut sit subjectum. Quod autem subjectum illius est, id aliquid universale est; quemadmodum & subjectum propositionis majoris est istiusmodi universale. Universale autem in ordine ad singulare non potest subjectum, neq; singulare in ordine ad universale prædicatum esse. Necessè ergo est, ut ordine inverso partes ponantur, & singulare subjectum, universale prædicatum fiat, atque adeò in primâ figurâ hic proveniat syllogismus: *Id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Corpus Christi est illud quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. Ergo Corpus Christi est realiter præsens in S. Cœnâ.*

XX. Verùm Vorstius præter causam scrupulosus est, nodumque in scirpto quærit. Primùm enim id, quod in prædicti syllogismi minore, ut & in majore ejusdem propositione subjectum est, *universali* esse, negari poterat. Quod enim in sacrâ Cœnâ cuique communicantium ad manducandum exhibetur, singulare seu individuum est, sive illum panem, super quo actæ sunt gratiæ, inter eos distribu-

tribu-

Atributum, sive corpus Christi spectes, quod, juxta nos, non minus, quam ille panis consecratus ad edendum, communicantibus exhibetur, quamvis invisibiliter, modoque nobis incognito & incomprehensibili. Pronomen autem relativum *ID*, pro ratione contextus materiae subjectae, aequè referre singulare sive individuum potest, atque universale, ut ita id quod in S. Cœnâ ore corporis manducandum exhibetur, & à communicantibus accipitur & comeditur, benè possit periphrasis esse illius rei in individuo, quæ ad manducandum ore exhibetur, accipitur & comeditur, atque adeò sustineat vim *subjecti singularis*. Quod si singulare per demonstrativum *HOC* significantius exprimi existimus, pro voculâ *ID*, ut particulam *HOC* substituas, per me facile licebit. Neque enim syllogismo quicquam, vel quoad sensum præmissarum, vel quoad vim concludendi, decedet, si, illâ in hujus locum substitutâ, cum ita formes: *Hoc quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Hoc quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Ergo Corpus Christi est realiter præsens in S. Cœnâ.*

XXI. Ita ergo noster syllogismus *expositorius*, ejusque medium concludendi *singulare* erit, per voculam *id* vel *hoc*, & periphrasin, ab actibus exhibendi, accipiendi & comedendi petitam, denotatum: & cadet proinde, quod dicebat Vorstius, quod *subjectum* propositionis minoris ipse Musæus fecerat, est *aliquid universale*. Cadet etiam, quod dicebat, *corpus Christi, cum individuum sit, non posse prædicatum enunciationis esse, sed oportere, ut sit subjectum*. Individuum enim, sub sua ratione propria conceptum, prædicari de *subjecto singulari*, sub aliquâ ratione confusâ concepto

cepto

cepto, & per pronomen demonstrativum hoc ad singularitatem sive conditiones individuantes, ut loquuntur determinato, tantum abest, ut ordini naturali & consuetudini loquendi receptæ repugnet; ut potius ei prorsus consentaneum sit: v. g. si quis Johannem Vorstium, sibi aliàs ignotum, prætereuntem videat, & quærat: quisnam est hic vir? congruè & naturali ordini convenienter respondebitur: Est Johannes Vorstius, ut responsio hanc contineat enunciationem: Hic Vir præteriens est Johannes Vorstius. Hujus generis locutiones occurrunt in Scripturis plures, è quibus unam atque alteram subjiciemus. Joh. V. v. 12. quærentibus Judæis: Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum & ambula? respondebat is, qui sanitati fuerat restitutus, Jesum esse, à quo sanatus esset, v. 15. Quæ responsio hanc continet enunciationem: Ille homo, qui dixit mihi, tolle grabbatum tuum & ambula, est Jesus. Matth. XVI. 13. Quærenti Christo: Quem me dicunt homines esse? respondebant discipuli: Alii quidem Johannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Hieremiam, aut unum de numero Prophetarum. Quo sanè responso continentur sequentes, ex hominum judicio petitæ, enunciationes: Tu es Johannes Baptista: tu es Elias: tu es Jeremias. Quærenti ulterius Christo: At vos quem me dicitis esse? respondet Petrus: Tu es Christus ille filius Dei viventis. Quem in sensum dixerat etiam Joh. VI. 69. Nos credidimus & cognovimus, quòd tu es Christus filius Dei vivi. Ubi aliquot individua de subjecto singulari, per pronomen demonstrativum denotato, sive κατὰ ἀλήθειαν sive κατὰ δόξαν & ex hominum opinione, prædicantur. Perinde Matth. XII. 23. dicebat tota turba obstupescens: Nonne iste est filius ille David? Quæ interrogatio rectè in hanc resolvitur propositionem affirmativam: Iste est filius ille David; rursus individuo prædicati

prædicati locum sustinente. Similiter cum Saulus, audita voce Domini: *Saul, Saul, quid me persequeris; quæreret; Quis es Domine: respondit Dominus: Ego sum Jesus, quem tu persequeris, Act. IX. 45.* Quæ ex responsione hæc refultat enunciatio: *Is, qui dixit, Saul, Saul, quid me persequeris, est Jesus.*

XXII. Ne verò in exemplis allatis etiam Vorstius quandam terminorum transpositionem fortè comminiscatur. singularia, suis nominibus propriis expressa, in illis prædicari, non subijci, ex collatis inter se quæstionibus & responsionibus communiq̃ne usu loquendi patescit. Inter quæstionem enim & responsionem hæc perpetua intercedit habitudo, ut quod quæstionis subiectum est, etiam in responsione subiecti locum; & quod de subiecto quærebatur, atque per responsionem declaratur, in eadem prædicati locum sustineat. Neque aliud fert consuetudo loquendi recepta. v. gr. cum quæritur, quid homo sit? subiectum quæstionis est homo, quod autem de eo quæritur, est ejus quidditas. Ad eam verò naturali ordini & consuetudini loquendi convenienter respondetur, *hominem esse animam rationale*, ut in responsione etiam *homo subiectum, anima rationale* autem, quo quæsitæ ejus quidditas declaratur, prædicatum sit. Quem in modum, ut in aliis, ita in nostris etiam, ex Scriptura adductis, exemplis res habet. v. gr. *Job. V. 12.* de eo, qui dixerat decumbenti, *tolle grabbatum tuum & ambula*, quærebatur, quis esset? in responsione autem quisnam esset, declaratur per nomen *Jesus*. Unde in enunciatio, in quam resolvitur responsio, *is qui dixit, tolle grabbatum tuum & ambula*, subiectum; *Jesus* autem prædicatum esse debet, ut, quæ inter responsionem & interrogationem intercedit, habitudo & loquendi ratio communis suapte naturâ hunc exigat situm

tum partium: Ille homo, qui dixit mihi, tolle grabbatum tuum & ambula, est Jesus: De cæteris idem esto iudicium.

XXIII. Si ergo in his & aliis similibus propositionibus neque ordini naturæ neque consuetudini loquendi receptæ repugnat, prædicatum esse singulare seu individuum; neq; in hæc: *id vel hoc, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi; vel ordini naturæ vel consuetudini loquendi repugnabit, corpus Christi tanquam singulare prædicari de hoc, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. Quid: quod in ipsis verbis Domini: Hoc est corpus meum: reapse corpus Christi sic prædicatur, & nostra propositio minor, vel ipso Vorstio fatente, quoad rem, tota in illis continetur. Nam pronomen hoc, docente Vorstio, refert verba præcedentia: Accipite, comedite, & propositio: Hoc est corpus meum; hunc habet sensum: Hoc, quod accipere & comedere vos iubeo, est corpus meum. Hoc autem, quod discipulos suos accipere & comedere Christus iubebat, fuisse id, quod in S. Cœnâ ab ipso exhibebatur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipiebatur & comedebatur, ne Vorstius quidem diffitetur. Ergo id, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, vi verborum: Hoc est corpus meum; est corpus Christi, atque adeo nostra propositio minor, quoad rem, in verbis institutionis manifeste continetur. Quod autem alibi Vorstius contendit, corpus Christi includere hinc notionem signi, & verborum Domini: Hoc est corpus meum; hunc esse sensum: Hoc est signum corporis mei; commentum est petitioni eius, quod in principio est, innixum, de quo infra pluribus agetur.*

XXIV. Excipiat quis, si syllogismus prædictus *expositorius* est, & rectè habet, hunc etiam: *Id vel hoc, quod in SS. Cænâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Id vel hoc, quod in SS. Cænâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est panis. Ergo panis est corpus Christi; expositorium fore, & rectè habiturum. Sed consequens esse absurdum: cum panem non esse corpus Christi, ad sensum pateat. Ergo absurdum etiam esse antecedens.*

XXV. Sediad'exceptionem hanc quod respondeatur, in promptu est. Ut enim de receptâ Patribus propositione: *Panis est corpus Christi*, quam etiam Theologi recentiores, adhibitâ declaratione, admittunt, nunc nihil dicamus, utriusque syllogismi parem esse rationem, ut si benè habeat, qui allatus à nobis est, alterum, ad hujus imitationem factum, etiam benè habere oporteat, nagemus & pernegamus;

XXVI. Ut ergo, quantum ab invicem dissent, manifestum evadat, sciendum est, syllogismos expositorios etiam oportere ita comparatos esse, ut ad dictum de omnino suo modo exigi possint: ad quod etiam tum actu ipso exigendi sunt, cum illorum vis concludendi apparet dubia, vel cum in aliis, qui similes esse videntur, ex veris præmissis falsa infertunt conclusio, ut in hoc syllogismo contingit: *Deus est Pater. Deus est Filius. Ergo Filius est Pater.* Quamvis enim *Deus* singulare sit, nec ei, subjectum propositionis constituenti, signum universale præfigi immediate, & dici possit: *Omnis Deus*; cum præter unum Deum nullus alius detur; mediante tamen pronomine relativo: *quod & verbo est*, signum universale ei benè præfigi & dici potest, *Omne quod est Deus.* Dantur enim in divinis plurali

V. 1. 1. 1.

ὄψις ἀμεντα, quorum quodlibet Deus est, Pater scilicet, Filius & Spiritus sanctus. Si ergo syllogismus hic ad dictum de omni exigatur, & ad primam reducatur figuram, hoc modo: *Omne quod est Deus, est Pater, Filius est id, quod est Deus, Ergo Filius est Pater*, majorem propositionem falsam esse, evidens erit.

XXVII. Non absimilem in modum habet sese syllogismus, nobis objectus. Subjectum enim in præmissa utraque est quidem *singulare* seu *individuum*, sed quod nonnullam, licet æquivocum, communitatem includit. Periphrasis enim, ab actibus *exhibendi, accipiendi & manducandi* desumpta, dicit saltem conceptum ejus confusum, *pani illi*, super quo gratiæ actæ sunt, æque ac *corpori Christi* communem, qui per pronomen adjectum ad singularitatem determinatur, tam potest & *hunc panem*, super quo actæ sunt gratiæ, & *corpus Christi* denotare (stante, quod hoc etiam exhibeatur ad manducandum, accipiatur & manducetur) quam per hominis conceptum, *voçulâ hic* ad singularitatem determinatum, *Petrus & Paulus* denotari & uterque *hic homo* dici potest. Unde res ipsa exigat, ut syllogismus ob qualemcunque medii, licet *singularis*, communitatem ad dictum de omni exigatur. Et quia relativum *id*, ut supra dictum, non *singulare* tantum, sed & *universale* referre potest, nihil prohibebit, quò minus subjecto propositionis majoris signum universale præfigatur immediate, ut syllogismus ad primam figuram reductus ita habeat: *Omne id, quod in SS. Cænâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Panis est id, quod in S. Cænâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. Ergo panis est corpus Christi.* Cujus syllogismi propositio major falsa est. Sub eo enim, quod in

SS. *Cenâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur*, præter corpus Christi, contineri etiam substantiam panis, ad sensum patet. Ergo nec alter expositivus, qui medio singulari: *hoc, quod ore corporis manducandum exhibetur*: in locum illius universalis substituto, illum exponere debebat, ad dictum de omni quadrat, quem proinde vitiosum esse, necesse est.

XXIX. Secus autem reshabet cum nostro syllogismo, qui licet expositivus, & tertiæ figuræ sit, tamen si ad primam figuram reducatur, ad dictum de omni bene quadrabit. Syllogismus expositivus in primâ figurâ erit hic: *hoc vel id, quod in SS. Cenâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens. Corpus Christi est hoc sive id, quod in SS. Cenâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur. Ergo corpus Christi est realiter præsens in SS. Cenâ*; in cujus propositione majore si singularitatis notam tollas, vel relativum *id*, præfixo ei signo universalis, terminum universalem referre facias, proveniet propositio major talis: *Omne id, quod in SS. Cenâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in SS. Cenâ*; quæ quia cum præfixo signo universalitatis non, ut in syllogismo priori, falsa, sed verissima est, neque ullâ infringi instantiâ potest, syllogismus sic informatum dictum de omni formaliter & actu continebit: ut ita ratio, cur rectè noster habeat syllogismus, malè autem alter, nobis objectus, evidens sit.

XXIX. Cæterum si malit Vorstius, ut medium concludendi pro termino universalis habeatur, & præmissis sua præfigantur signa, non magnoperè repugnabimus. Præfigenda autem erunt signa, propositioni majori quidem uni-

universale, minori autem particulare, ut in modo *Darii* syllogismus hic proveniat: *Omne, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est realiter præsens in S. Cœnâ. Quoddam quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Ergo corpus Christi est realiter præsens in S. Cœnâ.* In quo quid reprehendi jure possit, non videmus.

XXX. *Vorstius* quidem dicit, scire debbat *Musaus*, syllogismum, quem protulit, non tertiæ, sed primæ figuræ esse. Sed unde scire ego hoc debebam? Ratio dignoscendi syllogismorum figuras consistit in dispositione mediæ termini cum extremis, quæ in primâ figurâ hæc est, ut in majore propositione mediæ terminus subjiciatur & major prædicetur; in minore autem prædicetur mediæ & subjiciatur minor. In secundâ figurâ mediæ terminus in utraque præmissa prædicari, & extremum utrumque subjici debet. In tertiâ denique medium in utraque præmissa subjici, extrema prædicari debent. Ubi hic terminorum situs reperitur, ibi syllogismus in figurâ recte habet. Et quia in syllogismo prædicto mediæ bis subjicitur, semel in majore, & iterum in minore propositione, major autem extremum in majore, & minus in minore propositione prædicatur, syllogismus utique in tertiâ figurâ, & quod figuram concernit, bonus est; cum illius partes omnes eum, qui cuique, juxta naturam & leges tertiæ figuræ deberent, locum obtineant. Unde ergo scire ego debebam, syllogismum non tertiæ sed primæ figuræ esse?

XXXI. *Ex partium*, inquit, naturali ordine. *Partes* enim transpositæ sunt, cum quod in minore subjicitur, universale sit, & quod prædicatur, singulare. *Naturalis enim ordo partium* hic est, ut singulare subjiciatur, universale prædicetur.

cetur.

etur. Sed fac, naturalem ordinem hunc esse, ut universale prædicetur, singulare subjiciatur, num propterea in syllogismis præmissarum partes statim transpositæ sunt, quarum extrema modo inverso conjunguntur, ut inferius de superiori, species de genere, singulare de universalis, non quidem universaliter, sed particulariter sumto, prædicetur. An de ratione dispositiones syllogisticae est. ut termini syllogismorum secundum naturalem ordinem disponantur, & semper superius de inferiori, latius de angustiori prædicetur? Quid fiet de syllogismorum modis, quorum alterutra præmissa & conclusio particularis est: in quibus frequentissimè contingit, ut inferius de superiori, angustius de latiori prædicetur? Quales in omnibus figuris dantur. In prima quidem *Darii*, *Ferio*, in secundâ *Festino*, in tertiâ modi omnes habent conclusionem; modi *Disamis* autem, *Datisi*, *Ferison* etiam alterutram præmissam particularem.

XXXII. Quòd his etiam propositionibus, in quibus inferius de superiori, angustius de latiori prædicatur, in syllogismis concedendus sit locus, *Vorstius* non planè diffiteri potest. Nam quæ de illarum partibus transpositis & naturali partium situ servando dixerat, restringit ipse in Epistolâ ad *Dn. D. Christianum Chemnitium*, *SS. Theologiae Professore*, & *Ecclesiae hujus loci Pastorem ac Superintendentem* meritiſſimum, amicum & Collegam meum honorandum, ad eas tantùm propositiones indirectas, quarum prædicatum singulare est. Sciendum, inquit pag. 116. seqq. ea, quæ ad prædicationes indirectas & innaturales referunt, non unius generis esse. In quibusdam eorum etsi subjectum per se spectatum prædicato est latius; tamen per signum particularitatis sic contrahitur, ut prædicato latius non sit: de cæteris autem prædicatum revera universale & prædicabile est: exempli gratia:
Quod-

Quoddam animal est homo. Quidam lapis est magnes. — Istiusmodi igitur enunciationes ab usu loquendi non abhorrent, & in syllogismis usurpari possunt. — Deinde inter ea quæ in censum enunciationum indirectarum & innaturalium referunt, sunt etiam talia, quæ loco prædicati non universale & prædicabile, sed singulare & individuum habent: ut Quidam homo est Plato, Quidam equus est Bucephalus, Quoddam corpus grave est hoc lignum. In his non, ut in alteris illis aliquid per se latum, universale atque prædicabile, locum prædicati obtinet; sed planè individua & singularia, Plato, Bucephalus, hoc lignum. Hoc igitur posterius enunciationem innaturalium genus ineptum prorsus atque ab usu loquendi remotum ego dico.

XXXIII. Verùm posterius illud indirectarum enunciationum genus esse prorsus ineptum, aut minùs, quàm alterum in syllogismis usurpari posse, nondum evincunt hæ qualescunque diversitatis rationes adductæ. Primum enim quod in prioris generis enunciationibus v. gr. Quoddam animal est homo, Quidam lapis est magnes; subjectum per signum particularitatis sic dicitur contrahi, ut prædicato latius non sit, id cadit etiam in enunciationes alteras, quarum prædicatum singulare seu individuum est. Cùm enim dico, Quoddam quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi; signum particulare aquè restringit subjectum, ne latius sit prædicato, quam in hâc: Quoddam animal est homo. Sicut enim in hâc animal per signum particularitatis adjectum restringitur ad aliquid sub animali contentum, quod æquè patet eum homine, imò ipse homo est, confusè tamen cognitus, ita & in allâ; Quoddam quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi, subjectum per signum particulare præfixum re-

D

strin

stringitur ad aliquid sub eo contentum, quod corpore Christi latius non est, imò ipsum Christi corpus est, confusè tamen cognitum. Deinde ad rem nihil facit, quod in priori genere prædicarum reverà *universale & prædicabile* est. Est enim universale & prædicabile tantum in ordine ad sua inferiora; in ordine ad subjectum autem, de quo ind rectè, & ut loquuntur, innaturaliter prædicatur, non magis universale est, quàm individuum in ordine ad suam speciem, v. gr. *homo respectu animalis* non magis universale est, quàm *corpus Christi respectu ejus, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur* vel *Plato respectu hominis*; & sicus homo de animali prædicatur, non quòd illud tanquam partem subjectivam per modum universalis sua se contineat, sed quòd in genere animalium aliquod, quod homo est, contineatur: ita corpus Christi prædicatur de eo, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, non quòd illud per modum partis subjectivæ sub se contineat, sed quod sub eo aliquid, quod corpus Christi est, contineatur, & *Plato* prædicatur de homine, non quòd hominem tanquam partem subjectivam per modum universalis contineat, sed quod in specie humana aliquod individuum, quod *Plato* est, contineatur. Quod tertio obijcitur, prioris generis enunciationes non abhorre ab usu loquendi; abhorre autem ab eo alteras, quarum prædicarum singulare est, etiam parum roboris habet. Quamvis enim hæ posteriores usu non ita tritæ sint, aut æquè frequenter occurrant, ut priores: cum ratò contingat, ut de singularibus oboriatur quæstio, & per nomen, individuum significans, id quod quæritur explicandum veniat: tamen si qua fiat, ut aliquid, per individuum declarandum, in quæstionem vocetur, ab usu loquendi illæ non

non

non magis abhorrebunt, quam ab eo abhorret, ut ad talem quæstionem rei subjectæ convenienter respondeamus; & quod explicandum est, adhibito nomine singulari explicemus, v. gr. cum *Saulus*, voce cœlitus auditâ, quisnam loqueretur, nesciret, & propterea illud individuum loquens apud ipsum in quæstionem veniret, ab usu loquendi non abhorrebat dicere: is, qui loquitur ad *Saulum*, est *Jesus*, item is quem *Saulus* persequebatur, erat *Jesus*. Sic cum homini decumbenti dixisset *Christus*: *Surga, tolle grabatum tuum & ambula*; neque tamen, quis esset, qui id dixerat, notum esset, oriebatur hinc quæstio de illo individuo, quod hominem decumbentem verbo saltem sanasset. *Quis est inquit Judæi, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum & ambula?* Cognito autem, eum esse *Jesus*, responsum ejus, qui sanus factus fuerat, ad hanc redibat propositionem: *Homo ille, qui mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula, est Jesus, ut supra vidimus.*

XXXIV. Dicat quis: in his enunciationibus prædicari quidem singulare seu individuum, non tamen de universali, sed de singulari, per pronomen demonstrativum vel adhibitâ certâ periphrasi, significato. Esto ergo, illas non abhorrere prorsus ab usu loquendi, abhorrere tamen ab eo cæteras, quibus singulare de universali prædicatur.

XXXV. Resp. Si ab usu loquendi non abhorret dicere: *Hic homo est Jesus*; neque ab eo abhorrebit dicere: *Aliquis homo est Jesus*; cum posterior hæc propositio ex priorè ultro sequatur. *Hic homo enim est utique aliquis homo, & quod de hoc homine rectè dicitur, id de aliquo etiam homine rectè dici necesse est.* Imò harum propositionum subjecta non differunt ex parte rei, sed solo nostra modo concipiendi. In priori enim subjectum supponitur

discretè, ut loquuntur, h. e. pro determinato & certo hominis individuo, distinctè cognito; in posteriore autem subjectum supponitur confusè, pro eodem quidem individuo hominis, sed confusè cognito. Unde necesse est, ut posteriori etiam rectè tribuatur, quicquid priori à parte rei & citra mentis operationem convenit. Alias idem eidem à parte rei simul conveniret, & non conveniret, quæ est manifesta contradictio.

XXXVI. Atque hinc intelligitur etiam, enunciationes istas, quarum predicatum singulare seu individuum est, perperam à Vorstio rejici velut ineptas. Quamvis enim, ut dictum, non ut cæteræ usu tritæ & frequentes sint, tamen quando pro renata adhibendæ veniunt, tum nihil eas inepti continere, res ipsa loquitur. v. g. in quæstione de reali præsentia corporis & sanguinis Christi, cum ex verbis institutionis intelligo, id quod, gratiis super pane actis, exhibetur ore corporis manducandum, esse corpus Christi; & ad evincendam realem præsentiam corporis Christi in S. Cœnâ hanc adhibeo propositionem: *Quoddam quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, est corpus Christi; quid inepte habebit hæc propositio? Vel si mihi res sit cum quopiam qui neget unquam contingere, ut homo sanctus peccet mortaliter, & contra eum probanda mihi incumbat conclusio hæc: Aliquis homo sanctus peccat mortaliter, ego verò jam ex sacris Scripturis evicerim, in sanctorum numero esse etiam Davidem, eum tamen peccasse mortaliter; quid inepti erit, si ex hisce velut concessis, ita contra illum concludam: David peccavit mortaliter. Aliquis homo sanctus est David. Ergo Aliquis homo sanctus peccat mortaliter?* Neque enim hæc propositiones, quarum prædicatum singulare est, minùs quàm aliæ quævis enunciationes affirmativæ, dicunt identitatem prædicati cum subje-

subje-

subjecto, in priore quidem corporis Christi cum aliquo, quod exhibetur ore corporis manducandum; in posteriore autem Davidis cum aliquo homine sancto: quæ si à parte rei & nemine cogitante detur, propositio utique id, quod rei veritas habet, exprimet, atque adeò inepti nihil continebit, ut ut extra disputationes & in vulgari usu loquendi id generis enunciationes non facillè occurrant. In argumentando enim non tam quid in communi usu frequenter occurrat, quàm quæ terminorum inter se habitudo sit, spectari solet, ut medium cum extremis, & extrema inter se ita ut res subjecta habet, & ut leges consequentiarum permittunt, jungantur.

XXXVII. Cæterem Vorstius negat insuper, quòd veritatis aut falsitatis capaces sint propositiones illæ, quarum prædicatum singulare seu individuum est. Scribit enim in *Epistola proxime citata, pag. 146.* Qui diceret, *Omnis Superintendens Jenensis est Christianus Chemnitius*, ejus oratio externa, quia inepta esset, neque veritatis neque falsitatis esset capax. Et post quædam interjecta: *Si quis diceret, omnes Professor Jenensis est Christianus Chemnitius*, ejus oratio externa, quoniam & ipsa inepta esset, veritatis aut falsitatis capax non esset. Et rursum: *Pari modo si formare velles hanc enunciationem: Omne quod super Christum descendit, est Spiritus sanctus*, eamq; syllogismi Gerhardini propositionem majorem constituere, primum ipsa oratio externa, quoniam inepta esset, neque veritatis neque falsitatis esset capax, &c. Quamvis verò tantum in exemplum afferat enunciationes, quarum subjecto signum universale præfixum est, qualis in nostro argumento non accurrit; ratio adjecta tamen, cur veritatis falsitatisque capaces non sint, in has etiam, quæ signum particulare præfixum habent, convenit. Ea verò est hæc; quòd ineptæ sint. Oratio externa, inquit,

inquit, *QVIA INEPTA ESSET*, neque veritatis neque falsitatis esset capax. Propositionibus ineptis verò ipse omnes accenset propositiones, quarum prædicarum singulare est, licet subjecto non universale, sed particulare signum sit præfixum. Inter ea, inquit, d. l. p. 118. quæ in censuram enunciationum indirectarum & innaturalium referunt, sunt etiam talia, quæ loco prædicatæ non universale & prædicabile, sed singulare & individuum habent; ut quidam homo est Plato, Quoddam corpus grave est hoc lignum. In his non ut in alteris illis aliquid per se latum, universale atque prædicabile, locum prædicati obtinet, sed planè individua & singularia, Plato Bucephalus, hoc lignum. Hoc igitur posterius enunciationum innaturalium genus *INEPTUM PRORSUS* atq; ab usu loquendi remotum ego dico. Quia ergo hoc etiam (particularium) enunciationum genus *INEPTUM PRORSUS* dicit, idem veritatis falsitatisq; capax esse, neget oportet: cum rationem, cur alterum (universalium) enunciationum genus, neq; veritatis neque falsitatis capax esse dicat, nullum adferat, præterquam quòd *INEPTÆ* sint istæ enunciationes.

XXXIIX. Missis ergo illis enunciationibus, in quibus singulare de universali universaliter prædicatur, quippe quæ huc non pertinent; cæteras, in quibus singulare de subjecto, per se lato & universali, particulariter prædicatur, veritatis aequè ac falsitatis capaces esse, contra *Vorstium* ita probamus: In quocunq; enunciationum genere per extrema, inter se composita aut divisa, significantur composita aut divisa esse, quæ ex parte rei composita & unum, aut divisa & plura sunt, illud est veritatis aut falsitatis capax. Atqui in hoc enunciationum genere, quo singulare de subjecto, per se lato & universali, particulariter prædicatur, per extrema, inter se composita aut divisa significantur composita aut divisa esse, quæ ex parte rei composita & unum,

num;

num, aut divisa & plura sunt. Ergo hoc enunciationum genus, quo singulare de subjecto, per se lato & univertali, particulariter prædicatur, veritatis aut falsitatis capax est. Major propositio patet ex natura & definitione veritatis enunciationum. Hæc enim formaliter consistit in conformitate enunciationum cum objecto, estq; vera, quâ per extrema, inter se composita aut divisa, significantur composita aut divisa esse, quæ ex parte rei composita & unum, vel divisa & plura sunt: falsa autem, quâ per extrema inter se composita aut divisa, significantur composita aut divisa esse, quæ à parte rei non ita habent, h. e. quæ composita esse significantur, divisa & plura sunt, & quæ divisa & plura esse significantur, composita & unum sunt. Minoris veritas docere ad sensum potest. Cum dico: *Aliquis homo est Johannes Vorstius*, per extrema composita, sive quod idem est, per prædicarum, de subjecto affirmatum, significatur, *Johannem Vorstium esse unum cum aliquo homine*. Aut ergo ex parte rei *Johannes Vorstius & aliquis homo unum & idem sunt*, aut non sunt unum & idem. Si non sunt inter se unum, hoc est, si nullus est homo, qui ex parte rei idem sit cum *Johanne Vorstio*, *Johannes Vorstius* non erit homo. Repugnat enim, *Johannem Vorstium esse hominem*, et tamen nullum dari hominem, cum quo *Johannes Vorstius* idem sit, sive qui sit *Johannes Vorstius*. Eum verò non esse hominem, adversatur sensuum testimonio. Ergo ex parte rei unum & idem sint oportet, *aliquis homo & Johannes Vorstius*. Si autem unum sunt, propositio utique vera est, cum dico: *Aliquis homo est Johannes Vorstius*: cum ad veritatem propositionis affirmativæ sufficiat, si inter se componantur, quæ ex parte rei composita & unum sunt. Idem de aliis esto judicium.

XXXIX.

XXXIX. Atque hæc sunt, quæ contra nostrum, ex ver-
 bis institutionis extractum, syllogismum principalem,
Vorstius disputat, ut eum non *tertiæ* sed *primæ figuræ* syllo-
 gismum, & partes propositionis minoris transpositas es-
 se evincat. Quæ cum prorsus frivola & futilia sint, ut
 ex hæcenus dictis liquidò patet, fixum certè immotum-
 que manet, eum non esse *primæ sed tertie figuræ* syllogis-
 mum, quamvis ad primam figuram ipsum reduci posse,
 non negemus, neque, si ad illam fuerit reductus, ejus
 robori quicquam decessurum sit. Habebit enim, juxta
 ipsum *Vorstium*, sic: *Id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis*
manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur
est realiter præsens in S. Cœnâ. Corpus Christi est illud, quod in
S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communi-
cantibus accipitur & comeditur. Ergo corpus Christi est rea-
liter præsens in S. Cœnâ. Cujus propositionem majorem
universaliter veram esse, Vorstius largitur. Putat autem,
rationem non posse prosyllogismo, ad ejus confirmatio-
nem à me allato, probari. At verò si hæc propositio mi-
nor: Id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum,
& à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Chri-
sti, vera, & prosyllogismo illo solidè probata est, altera
etiam, quæ per conversionem ex ea infertur, nempe cor-
pus Christi esse illud, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis
manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur,
vere erit. Neque enim fieri potest, ut propositio con-
vertens falsa sit, conversâ manente verâ, in bonâ quidem
conversione. Quod verò Vorstius contendit, in prosyl-
logismo etiam partes conclusionis, ut & propositiones
majoris, esse transpositas, proptere à quod naturalis ordo
aliarum situm requirat, id ad idem redit commen-
tum, quo in syllogismo principali partes propositionis
 mino-

minoris transpositas esse evincere voluit. Quod quia à nobis hætenus impugnatum & funditus eversum est, pro syllogismus noster, quem ad confirmandam syllogismi principalis propositionem minorem adhibuimus, adhuc inconcussus, atque adeò nostra probatio tota etiamnum invicta perstat. Et tantum de *Vorstii* objectione prima.

XL. Ad alteram progredimur, quæ erat: Si pro tertiæ figuræ syllogismo noster principalis syllogismus habeatur, & signum universalitatis, uti par est, ut majori, ita & minori propositioni adjiciatur, ipsius propositionis minoris falsitatem inde apparituram. Syllogismum autem futurum hunc: *Quicquid in S. Cœna exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, id est realiter præsens in S. Cœnâ. Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, id est corpus Christi. Ergo corpus Christi in S. Cœnâ est realiter præsens.* *Mirorem, inquit, quæ nunc apparet, ne ipse quidem Musæus veram dicet; sed fatebitur, credo, in S. Cœnâ etiam panem ore corporis manducandum exhiberi.*

XLI. Verùm in hac objectione *Vorstius* graviter impingit, seque imperitum Logicum ostendit. Quæ enim Logica docet, par esse, ut in syllogismo tertiæ figuræ, sicut majori, ita & minori propositioni signum universalitatis adjiciatur? An fortè in ejus Logicâ figura tertia modum concludendi affirmativum nullum habet, præter *Darapti*, cujus ambæ præmissæ universales sunt? An verò etiam modos *Datifi* & *Disamis* admittit, quorum ille minorem, hic majorem propositionem particularem habet? Certè modo *Datifi* *Vorstius* locum in legitimis tertiæ figuræ modis concedere videtur, quando in *Epist. II. ad Dn. D. Titium p. 5.* se dubitasse refert, *cujus modi habendi Warneri*

E

syllo-

syllogismus esset; utrum modi *Darapti*, an verò modi *Datifi*?
 Quod si eum legitimum esse agnoscit, quo jure, quâve
 ratione à me postulare potest, ut in syllogismo, quem in
 tertiâ figurâ feceram, signum universalitatis majori, ita
 & minori propositioni adjiciam? Imò verò si medium pro
 termino communi haberi, & signa, propositionum quan-
 titatem determinantia, præfigi præmissis debeant, non u-
 niversale, sed particulare signum ego propositioni mino-
 ri addiderim, ut in modo *Datifi* syllogismus hic prove-
 niat: *Omne quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducan-
 dum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est rea-
 liter præsens in S. Cœnâ. Quoddam quod in S. Cœnâ exhibetur
 ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur &
 comeditur, est corpus Christi. Ergo corpus Christi est realiter
 præsens in S. Cœnâ.*

XLII. Ita syllogismum in formâ rectè habere, & ex
 majore propositione universali & minore particulari re-
 ctè sequi conclusionem hanc: *Ergo corpus Christi est reali-
 ter præsens in S. Cœnâ; nemo, artis Logices gnarus, diffite-
 bitur, neque quisquam, quod desideret, habebit, nisi for-
 san ex eo, quòd conclusio singularis est, ansam cavillandi
 quis captare, & inde formam vitii arguere velit, ut à Vor-
 stio in Epistolâ ad Warnerum Freund factum videmus, quan-
 do hanc conclusionem: Ergo corpus Christi & sanguis Chri-
 sti sunt illa, quæ Christus in S. Cœnâ vult præsentia sistere; in ter-
 tiâ figurâ inconcinnam esse dicit, quòd non particularis, sed
 singularis sit. Hancce, ait, conclusionem satis concinnam pu-
 tas in tertiâ figurâ? Sciscunt Logici, conclusionem in tertiâ fi-
 gurâ debere particularem esse. Quare si & tu syllogis-
 mum tertiæ figuræ fabricatum velis, oportebit te eâdem lege
 teneri, & conclusionem quidem sic facere, Ergo aliquod corpus
 Christi & aliquis sanguis Christi sunt ea, quæ Christus in S. Cœnâ
 vult*

vult presentia sistere. Sed hæc conclusio quàm inconcinna sit ; ipse intelligis. Si dicas, aliquod corpus Christi & aliquem sanguinem Christi esse ea, quæ Christus in S. Cœnâ velit presentia facere: suspicandum erit, plura esse corpora Christi, non unum tantum; & plures item Christi sanguines. Quæ repetit & pluribus inculcat in Epist. II. ad laudatum D. Titium pag. 10. ubi inter alia scribit: Ob eandem quoque causam, quod videlicet corpus & sanguis Christi non universalis & predicabilia, sed singularia & individua sunt, eadem illa nec subjectum in conclusionibus syllogismorum tertiæ figuræ constituere possunt. Quippe conclusiones syllogismorum tertiæ figuræ signum particularitatis aliquis vel quidam sibi adjectum habere oportet: id quod individuis & singularibus minùs commodè adjicitur &c.

XLIII. Verum inutilis planè & frivola est hæc cavillatio: quâ stante, nec in primâ figurâ de singulari subsumi sub universali, & vi dicti de omni quicquam concludi de eo poterit. Sicut enim in tertiâ figurâ conclusio particularis, ita in primâ eadem vel universalis vel particularis esse debet. Universalis quidem in modis *Barbara* & *celarent*, particularis in *Darii* & *Ferio*. Si ergo de subjecto singulari aliquid syllogisticè concludendum veniat, in quâ figurâ & modo tandem *Vorstius* syllogismum faciet? v. g. in tentationis casu aut cum ex sensu peccati iræ quæ divinæ conscientia angitur, si per promissiones divinas de remissione peccatorum, credentibus in Christum imperiendâ, homo afflictus sese erigere vilit, non licebet ei in primâ figurâ, vi dicti de omni, de se sic concludere: *Omnis credens in Christum habet Deum in cælis propitium & remissionem peccatorum. Ego credo in Christum. Ergo ego habeo Deum in cælis propitium & remissionem peccatorum.* Cum enim minor propositio & conclusio in primâ figurâ, per modos enumeratos, vel universales vel particulares esse debeant,

pronomini *EGO* autem, individui locum sustinent, neque *universali* neque *particulare* signum satis concinne adjici possit, argumentum laborabit in formâ, & proinde vi concludendi animumque consternatum erigendi prorsus destituetur. Neque enim satis concinnæ erunt minor propositio & conclusio, si cum præfixo signo *universali* sic formentur: *Omnis ego credo in Christum: Omnis ego habeo Deum in Cælis propitium, & remissionem peccatorum.* Neque etiam cum præfixo signo *particulari* satis commode dicetur: *Quidam ego credo in Christum. Quidam ego habeo Deum in cælis propitium & remissionem peccatorum.*

XLIV. Dicit *Vorstius*, se non negare, quòd in primâ figurâ propositionis minoris, ut & conclusionis subjectum possit *singulare* seu *individuum* esse, sed negare talem, quòd in figurâ tertiâ subjecto *singulari* constare conclusio possit. Non equidem negaverim, hanc esse ejus mentem, quandoquidem in *Epistolâ ad Warnerum Freund* scribit: *Rectius fecisses, si syllogismum tuum formâsses sic, Quicquid Christus ore corporis in S. Cœnâ manducare ac bibere jussit, id idem ibidem vult præsens sistere. Corpus Christi & sanguis Christi sunt ea, quæ Christus ore corporis manducare ac bibere jussit. Ergo corpus Christi & sanguis Christi sunt ea, quæ Christus in sacrâ Cœnâ vult præsentia sistere; & subjicit: Ita foret syllogismus in primâ figurâ, & forma satis rectè haberet.* Sed hæc etiam parum aptè dicuntur. Neque enim ulla reddi ratio potest, cur in primâ figurâ minor propositio & conclusio, bonitate formæ salvâ, *singulares* esse possint, in tertiâ autem figurâ, si conclusio *singularis* sit, syllogismi forma laboret. Jam enim ostensum est, quòd sicut in tertiâ figurâ conclusio, juxta modos concludendi consuetos, semper *particularis* esse debet, ita in syllogismis primæ figuræ propositio minor & conclusio, juxta vul-

ta vul-

tā vulgares modos concludendi, vel universales vel particulares esse debeant. Si igitur hoc non obstante, in primā figurā minor propositio & conclusio subjecto singulari constare possunt, quidnā in tertiā etiam figurā forma syllogismorum, quorum conclusio subjecto singulari constat, satis rectē habeat?

XLV. Forſan diverſitatis rationem *Vorſtius* in eo quaeret, quod in tertiā figurā habetur regula expreſſa: *conclusionem debere ſemper eſſe particularem*; non tamen in primā figurā æquē per regulam expreſſam inculcatur, quod propositio minor & conclusio ſemper vel universales vel particulares eſſe debeant. Sed ratio hæc, ſi eā fortē miti velit, parūm habebit roboris. Nam regula illa tertiæ figuræ fundatur in conſuetis ejus modis argumentandi, eſt-que à poſteriori per inductionem ex illis collecta. Quod ſi quis in primā figurā ſimili modo formaret regulam, quod conclusio, ut & propositio minor ſemper debeat vel univerſalis vel particularis eſſe; hæc eādē, quā illa, ratione ſuffulta eſſet. Quod autem illa in libellis Logi- cis ita expreſſè traditus, hæc non item, cauſa eſt, quod tertia figura præ cæteris peculiare habet, quod conclusio non univerſalis eſſe poteſt, ſed ſemper particulares eſſe debet; prima autem figura habet cum ſecundā hoc commune, quod minor propositio & conclusio cum univerſales tum particulares eſſe poſſunt. Quamobrem illud diſcentium cauſā, ut modos ſyllogismorum tertiæ figuræ faciliùs capiant, & à cæteris diſtinguant, ita peculiariter inculcatur; cur autem alterum etiam in primā figurā (cujus tamen proprium non eſt) per regulam expreſſam peculiariter inculcetur, cauſæ nihil apparet. In hoc interim manet utriusque figuræ par ratio, quod ſicut in tertiā conclusio, juxta modos argumentandi conſuetos,

aut vi regulæ, inductionem ex iis extractæ, semper particularatis esse debet, ita in primâ, juxta modos concludendi usitatos, minor propositio & conclusio semper vel universales vel particulares esse debeant: ut prorsus ineptè *Vorstius* argumentum *Warneri*, si in tertiâ figurâ formetur, vitij arguat, quòd conclusio non particularis, sed singularis sit, & tamen, si in primâ figurâ id formetur, formam ejus satis rectè habituram dicat, non obstante, quòd neque minorem propositionem, neque conclusionem habeat universalem aut particularem, sed utramque singularem.

XLVI. Scire ergo debebat *Vorstius*, regulas syllogisticas, quæ signa sive universalis sive particularis præmissarum & conclusionum subjectis adjicienda dicitant, intelligendas esse de præmissis & conclusionibus, quarum subjecta talium signorum capacia sunt, hoc est, quarum subjecta universali sunt, & plura, de quibus prædicatum affirmari aut negari possit, sub se comprehendunt. Quarum autem subjecta singularia sunt, nec alia inferiora sub se continent; illæ ut signorum capaces non sunt, ita tam universalem quàm particularium propositionum vicem subire pro re nata possunt. In syllogismo enim, cujus propositio minor & conclusio singulares sunt, non minùs ex veris præmissis vera sequitur conclusio, quàm si propositio minor & conclusio subjecto universali consent, in signum universale aut particulare, pro ut figura & modus exigat, præfixum habeant. Quamobrem *Petrus Hurtadus de Mendoza* in *Disp. X. Logica Sect. XV.* ad objectionem, quòd ex majore universali affirmativâ & minore singulari, etiam affirmativâ, in primâ figurâ concludi possit, & propterea assignari debeat modus, à *Darii distinctus*; non malè respondet, modum hunc argumentandi posse reduci ad *Darii*, vel
in eo

in eo directè collocari. Quia nomine propositionis particularis complecti possumus omnes non universales; modi autem non geminantur, quando sunt tam similes, vitandæ prolixitatis ergo. Deficerent enim vocales ad tot minutias minutatim prosequendas.

XLVII. Profligatâ igitur hâc etiam exceptione, nihil puto superesse, quam ut argumentum *Vorstius* in formâ bonum esse agnoscat, & si quid porrò contra illud tentare velit, formâ missâ, materiam aggrediatur. Quia autem propositionem majorem verissimam esse, ipsemet fatetur, in impugnandâ propositione minore ut deinceps vires suas periclitetur, oportebit.

XLII X. Minor autem propositio, ut eam repetam, erat hæc: *Id sive hoc quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Quæ in verbis institutionis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, solidè fundatur. Quod enim de manducatione propriè dictâ & orali hæc loquantur, ex contextu ita evidens est, ut ne *Vorstius* quidem de eo dubitet, sed in *Epist. I. ad Dn D. Titium* p. 32. expressè scribat: *Hic quod ais, verba Domini, Edite, Bibite, accipienda & intelligenda esse de manducatione & bibitione propriè dictâ, id vehementer probo. De illo autem quod iis propriè & ore corporis edere jubemur, dicitur discertè, quòd sit corpus Christi. Ergo id, quod in S. Cœnâ propriè edere jubemur, sive quod in eâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi. Quæ est nostra propositio minor.**

XLIX. Eam, sub hisce terminis conceptam, *Vorstius*, ut vidimus, non negare audet, sed (1) si ei signum universale præfigatur, ut ita habeat: *Quicquid in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & communicantibus accipitur & comeditur, id est corpus Christi; tum dicit, ipsam fore falsam. (2) si par-*

si partibus, quibus constat, transpositis, in hanc redigatur propositionem: *Corpus Christi est id quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum & à communicantibus accipitur & comeditur*; tùm prosyllogismum ad ejus confirmationem nihil facturum. Ex quibus non ineptè quis collegerit, minorem propositionem nostri argumenti principalis, si retento, quem habent, situ partium subjectum per demonstrativum *hoc* ad singularitatem, vel per præfixum signum *aliquid* ad particularitatem determinetur, juxta *Vorstium*, esse veram. Aliàs enim nihil opus fuisset, ut illius veritatem negaturus, hisce uteretur ambagibus, & modò ejus partes transpositas esse, modo ut signum universale ei præfigatur, par esse; & si partes in ordinem redigantur, vel signum universale præfigatur, tùm eam falsam evasuram diceret. Et quia commenta futilia esse, quæ de partium transpositione, & de signo universali, propositioni minori in syllogismis tertiæ figuræ addendo, objeci, liquidò & ad oculum ostendimus, adhuc nostra propositio minor perstat inconcussa, & solidè probatur per prosyllogismum, ad ejus confirmationem à nobis allatum, qui ita habebat: *De quo Christus dicit: hoc est corpus meum, illud est corpus Christi. Atqui illo, quod in S. Cœnâ exhibetur, ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, dicit Christus: Hoc est corpus meum. Ergo id, quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi.* Cui quod opponi posset, *Vorstius* non invenit, præter illud suum commentum, quòd partes conclusionis, ut & propositionis majoris, non naturali ordine locatæ, & propterea transpositæ sint. Quod quia superius à nobis dejectum & funditè eversum est, relinquatur, ut formam prosyllogismi nostri bonam, ejusque præmissas, (quarum neutram sub hoc partium situ inficiatur) verissimas esse admittat.

L. Cæterum noster syllogismus principalis, & qui ad
 ejus propositionem minorem confirmandam ei subjun-
 ctus est, prosyllogismus noster nititur proprietate verbo-
 rum: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*; quâ stante,
 stabit contenta iis probatio nostra invicta, neque vel ipsæ
 inferorum portæ ei prævalebunt. Si verò causæ exce-
 ptione omni majores adferri possint, quæ significationem
 propriam in prædictis verbis Domini locum obtinere non
 posse, indubitato evincant, atque eò ut proprietate li-
 teræ desertâ, per *corpus Christi* non ipsum Christi corpus,
 sed ejus *signum* tantum, & per *sanguinem Christi*, non ipsum
 ejus sanguinem, sed illius *signum* tantum intelligamus,
 nos adigant, tum syllogismus uterq; suâ vi probandi de-
 stituetur. Ita enim cadet syllogismi principalis proposi-
 tio minor: cadet etiam prosyllogismi propositio major.
 Id enim quod in S. Cœnâ exhibetur ore corporis mandu-
 candum, & à communicantibus accipitur & comeditur,
 non erit corpus Christi, sed ejus *signum* tantum, contra
 quàm syllogismi principalis propositio minor habebat: &
 id, de quo Christus dixit, *hoc est corpus meum*, similiter non
 erit *corpus Christi*, ut prosyllogismi propositio major ha-
 bebat, sed erit tantum *signum* illius: ut ita huc tandem o-
 mnis redeat difficultas, an afferri possint, aut à Reforma-
 tis hæcenus allatæ sint rationes prorsus convincentes,
 quæ à proprietate literæ in verbis Domini: *hoc est corpus
 meum, hoc est sanguis meus*; nos depellant, & ut *corpus Chri-
 sti* pro ejus *signo* tantum, & *sanguinem* ejus pro *signo sanguinis*
 ipsius accipiamus, inevitabili necessitate adstringant?

Ll. Huc devinire tandem summam rei, Vorstius anim-
 advertisse videtur, qui proinde onus probandi, cau-
 sasque, quæ in verbis Domini significationem propriam
 deserere & ad tropum deflectere cogant; reddendi à se
 F
 declina-

declinaturus, negat, significationem propriam deserit & tropum admitti, cum hoc est corpus meum explicatur per hoc est signum corporis mei; & hoc est sanguis meus per hoc est signum sanguinis mei: forsan quod rationibus, quibus inductus in hanc interpretationem descendit, ipse diffidat, & sintne ita firmæ, ut à proprietate literæ ad impropriam & tropicam significationem nos depellere possint, subdubitet. Verba ejus in Epistolâ I. ad Dn. D. Titium pag. 87. sunt hæc: Quoniam de significatione vocum propria dixisti, & retinendam illam, nec temerè ad tropum & significationem impropriam delabendum monuisti; dicam ego, mi Titii, quod fortasse παρομοίως tibi videtur; per ipsam quoque illam verborum Domini: Hoc est corpus meum; interpretationem, quam Ecclesiæ Reformatae faciunt, à significatione vocum propria non recedi, neque propter illam in verbis Domini tropum statui opus esse. Tropum vocant Rhetores, si vox à propriâ significatione flectatur ad alienam, id est, si vox ad aliud quid significandum adhiheat, quàm cui significando propriè est destinata, idq; ob similitudinem vel ob alias causas. — At verò si Hoc est corpus meum, dicas esse pro Hoc est signum corporis mei, tum res planè aliter se habet. Non enim per hoc vox corpus aliam rem significare statuitur, quàm cui significandæ est peculiariter destinata, sed significare statuitur ipsam illam rem, cui significandæ peculiariter destinata est, id est, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat. Præterquàm verò quod vox corpus significat istam rem, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat, exprimit etiam conceptum seu notionem signi; & unica vox corpus tantundem significat, quantum significare possunt signum corporis. Et hæc talia ad tropos, & quidem ad metonymiam, referenda non videntur. Hæc ille, quæ postea in ejusdem Epistolæ pag. 139. & seqq. repetit, & fusiùs deducit, ratus se invenisse, non quod pueri in faba.

faba. Quæ proinde hic prius, quàm ad alia progrediamur, excutiemus.

III. Dicit *Vorstius*, vocem *corpus* in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, positam esse pro *signo corporis*, & tamen negat, eam significare rem aliam, quàm cui significandæ primitus imposita est. *Si, hoc est corpus meum*, inquit, dicas esse pro *hoc est signum corporis mei*, non per hoc vox *corpus* aliam rem significare statuitur, quàm cui significandæ peculiariter destinata est, sed significare statuitur illam ipsam rem, cui significandæ peculiariter destinata est, id est, quæ ex carne, nervis, ossibus pluribusq; aliis constat. Quæ quomodo coherant, aut ne inter se pugnent, seque mutuò interimant, conciliari possint, haud equidem assequor. Si enim quæras, cui rei significandæ vox *corpus* peculiariter destinata sit? *Vorstius* his ipsis verbis oppidò respondet, eam destinatum esse significandæ rei, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat. Si porro quæras, quænam res sit illud *signum corporis*, pro quo sumi *corpus* in verbis Domini dicitur? *panis Eucharistiæ*, inquit. Nam *hoc est corpus meum*; & *hic panis est signum corporis mei*, juxta eum, æquipollent. Et tamen vox *corpus*, pro *signo corporis* sumpta, non significat aliam rem, quàm cui significandæ peculiariter destinata est, id est, rem, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat. Quid est in terminis sibi contradicere, si hoc non est? Quid enim? An panis Eucharistiæ; qui est *signum corporis Christi*, est illa res, quæ constat ex carne, nervis, ossibus? Nemo citra manifestam absurditatem id dixerit. Si autem non est illa res, sed alia; vox *corpus*, pro *signo corporis* sumpta, non significabit illam rem, cui significandæ peculiariter destinata est. Hæc enim, cui significandæ peculiariter destinata est, constat ex carne, nervis, ossibus, pluribusque aliis, dicente *Vorstio*, qui-

bus signum corporis Christi, dicente eodem, non constat. Et tamen vox *corpus*, pro signo corporis sumpta, rursus *Vorstio* dicente, non significat aliam rem, quam cui significanda peculiariter destinata est, sed significat illam ipsam rem, cui significanda peculiariter destinata est, id est, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat. Ergo vox *corpus*, pro signo corporis sumpta, non significat aliam rem, quam cui significanda peculiariter destinata est, & simul significat aliam rem, quam cui significanda peculiariter destinata est: quæ evidens & palpabilis contradictio est.

LIII. Cum verò duo contradictoria non possint simul vera esse, necesse est, alterutram contradictionis partem esse falsam. Non autem falsa est hæc, quæ vox *corpus*, pro signo corporis sumpta, dicitur aliam significare rem, quam cui significanda primitus imposita est. Sicut enim nihil sui ipsius signum esse potest, ita nec signum corporis Christi potest esse ipsum corpus Christi, sed necessario est res alia & à corpore Christi diversa: est enim, færente *Vorstio*, panis Eucharistiæ, non ipsum corpus Christi: Falsa ergo est altera contradictionis pars; quòd vox *corpus*, pro signo corporis sumpta, non significet aliam rem, quam cui significanda peculiarit destinata est, atque adeò in suo significatu proprio accipiatur.

LIV. Neque obstat, quod ibidem *Vorstius* subjicit, vocem *CORPUS*, præter quàm quod significat istam rem, quæ ex carne, nervis, ossibus, pluribusq; aliis constat, exprimere etiam conceptum seu notionem signi, & unicam vocem *CORPUS* tantundem significare, quantum significare possint *SIGNUM CORPORIS*. Primum enim si vox *corpus*, præter conceptum corporis, etiam signi conceptum seu notionem exprimit, ita quidem, ut tantundem significet, quantum hæ duæ voces *signum corporis* significant, tum solum si-

gnum

gnum in casu recto significabit; *corpus* autem, sive rem istam, quæ ex carne, nervis & ossibus constat, tantum ex parte rei significatæ & in obliquo connotabit, tanquam id, ad quod signum, in casu recto significatum, habitudinem importat. Quod idem est, atque eam non significare *corpus*, sed solum *signum corporis*. Et si hæc est propria ejus significatio, falsum erit, quod dicit *Vorstius*, vocem *corpus* esse significandæ isti rei, quæ ex carne, nervis & ossibus constat, peculiariter destinatam. Vel si hoc verum est, falsum sit oportet, quod dicit, eam retinere tum suam significationem propriam, cum pro *signo* corporis sumitur, & significare illam ipsam rem, cui significandæ peculiariter destinata est. Utrum eligat, contradictionis laqueo se implicabit. Deinde vox *corpus* ex ipsa vi & indole suâ non exprimit *conceptum* seu *notionem signi*. Neque enim, eâ audita, quicquam concipimus, præter *corpus* sive rem, ex materiâ & formâ; & si specialiter de corpore animali sermo sit, rem ex carne, nervis, ossibus &c. constantem. Si autem in hoc verborum contextu; hoc est *corpus meum*; *conceptum* sive *notionem signi* exprimat, & *signum corporis* denotet; tum non ex vi vocis significationem hanc obtinebit, sed ex vi contextus demum illam, velut significationem alienam & impropiam, induet, & exprimet proinde *conceptum* sive *notionem signi* eo modo, quo in hæc enunciatione: *Herodes est vulpes*; vox *vulpes* *conceptum* sive *notionem similitudinis*, & in istâ: *Christus est nostra salus*, vox *salus* *conceptum* sive *notionem causæ* exprimit. *Vulpes* enim non sumitur ibi pro animali illo quadrupede, ab astutia peculiariter commendato, sed pro eo, qui in astutiâ illi similis est. Et vox *salus* non sumitur pro ipsa hominis beatitudine, sed pro ejus autore & causâ. Si ergo vox *corpus*, pro *signo* corporis accepta, propterea suam

suam propriam retinet significationem, quòd in casu obliquo *corpus*, cui significando primitus imposita est, connotat, etiam voces *vulpes* & *salus* tùm suam significationem propriam retinebunt, cùm *Herodes vulpes*, & *Christus nostra salus* dicitur. Quà ratione enim vox *corpus* conceptum sive notionem signi exprimit, & *corpus* sive rem, ex carne, ossibus &c. constantem in obliquo connotat, eâ exprimit etiam vox *vulpes* conceptum sive notionem similitudinis, ipsâ *vulpe* in obliquo connotatâ, & eâdem vox *salus* exprimit conceptum sive notionem *causae salutis* ipsâ in obliquo connotatâ. Neque enim alium sensum habent verba, *Herodes est vulpes*, quàm hunc: *Herodes est similis vulpi* in astutiâ: & horum, *Christus est salus nostra*, sensus est, *Christum esse causam nostrae salutis*, ut *vulpes* & *salus* æquè in illis connotentur, atque in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, juxta hanc Vorstianam interpretationem, *hoc est signum corporis mei*, *corpus Christi* in obliquo connotatur. Sed dicere, voces, *vulpes* & *salus*, in prædictis enunciationibus sumi propriè, sive significare illam rem, cui significandæ primitus impositæ sunt, absurdissimum est. Ergo absurdum etiam est, dicere, vocem, *corpus*, pro signo corporis acceptam, sumi propriè, sive non aliam significare rem, quàm cui significandæ peculiariter destinata est.

LV. Vorstius tamen pag. 140. adhuc instat, & objicit: Si vox *corpus* significaret rem quandam aliam, quæ quidem esset signum corporis; & exempli causa si ipsum panem Eucharistiæ significaret, esset id planissimè tropus. Atqui ita se res non habet. Vox, *corpus* non significat hîc rem quandam aliam: non significat rem, quæ sit signum corporis: & exempli causâ non significat panem, qui utique signum corporis est; sed significat ipsam illam rem, quæ vulgò *corpus* vocatur. Sed hæc etiam
obje-

objectio nihil habet solidi. Nam vox *vulpes* etiam, cum dicitur, *Herodem esse vulpem*; non significat rem quandam aliam, quæ quidem esset similis vulpi, & exempli causâ ipsum *Herodem*; neque vox, *salus*, cum dicitur, *Christum esse nostram salutem*, significat rem aliam, quæ esset causa nostræ salutis, exempli gratiâ, *Christum* ipsum; sed *salus* significat hîc causam salutis, & tribuitur Christo, qui est salutis nostræ causa, per modum accidentis. Accidit enim Christo, ut salutis nostræ causa sit. Et *vulpes* significat similem vulpi, & tribuitur *Herodi*, qui in astutiâ ei similis est, itidem per modum accidentis. Perinde si verba: *hoc est corpus meum*: hunc habent sensum, *hoc est signum corporis mei*: vox *corpus* non quidem significabit panem Eucharistiæ, sed signi habitudinem accidentalem in pane, quam in ordine ad corpus Christi, tanquam ad rem signatam ex voluntate Christi instituentis obtinet. Sicut autem, omnium consensu, tropus est, cum vox *vulpes* significat similem vulpi, & vox *salus* salutis causam, non obstante, quòd nec illa ipsum *Herodem*, qui vulpi similis est, neque hæc ipsum *Christum*, qui nostræ salutis causa est, formaliter significat: ita tropus etiam erit, cum *corpus Christi* sumitur pro signo corporis Christi, non obstante, quòd non ipsum panem Eucharistiæ, qui signum corporis Christi est, sed saltem habitudinem signi, quam in ordine ad corpus Christi obtinet, formaliter significat.

LVI. Nosse ergo *Vorstius* debebat, quòd, cum in tropis vox à significatione propriâ transferri dicitur ad alienam, id, quod per significationem alienam denotatur, non semper sit res talis, qualis est, quæ voce propriè acceptâ, formaliter significatur, sed quandoque alterius ordinis aut prædicamenti res. Ita vox *vulpes* propriè significat substantiam, & quidem animal ab astutiâ præ cæteris notum, sed

sed

sed cum *Herodes* dicitur *vulpes*, significat qualitatem in *Herode*, per quam vulpi similis est: & si verum est, quod dicit *Vorstius*, vocem *corpus* sumi in verbis institutionis pro signo corporis Christi, tum significabit formaliter rationem signi, quæ ad panem sese habet per modum accidentis respectivi; cum tamen propriè accepta significet rem absolutam, & quidem substantiam, ex carne, nervis, ossibus &c. constantem. Nihilo tamen minùs rectissimè dicitur, voces y. gr. *vulpes* & *corpus*, transferri ad significandum aliud, quàm ad quod significandum primitùs impositæ sunt. Quamvis enim ratio *similitudinis*, quam cum *vulpe Herodes* habet, & ratio signi, quam panis Eucharistiæ ad Corpus Christi habet, non sint tales res, quales sunt *vulpes* & *corpus Christi*; non tamen sunt idem cum *vulpe* & *corpore Christi*, sed aliud quid ab iis diversum. Illa enim sunt substantiæ, uti dictum, hæc accidentia. Sed hæc, perinde ut superiora, quæ contra formam nostri argumenti *Vorstius* objecerat, ad scholas triviales pertinent, pueris potiùs inculcanda, quàm in cathedrâ Theologicâ disceptanda: in quibus, quamvis levibus, cum ita crassè impingat *Vorstius*, quid in principali eaque omnium difficilima controversia de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ prudens rei que intelligens lector de eo sibi polliceatur?

LVII. Quia igitur constat, *Vorstianam* verborum Domini interpretationem recedere à propriâ & nativâ illorum significatione; superest, ut in causas inquiramus, quibus inductus à literæ proprietate recedit, & cujus momenti ac ponderis illæ sint, dispiciamus.

LIX. Primaria, ex ipsâ Cœnæ institutione petita, hæc est: Verba institutionis, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*; æquipollent hisce: *hic panis est corpus meum, hoc vi-*
num

num est sanguis meus. Hic panis autem non potest esse ipsum corpus Christi, neque vinum hoc potest esse ipse sanguis Christi. Ergo sunt tantum signa illorum, panis quidem corporis, vinum autem sanguinis, & verba Domini hunc habent sensum: *Hic panis est signum corporis mei, hoc vinum est signum sanguinis mei.*

LIX. Quod hisce: *hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus*; verba Domini æquipolleant, Vorstius lib. I. Dissert. Sacr. c. VII. probat hunc in modum: Cùm dicit Dominus: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*; vocula τὸ hoc non est merè δεικτικόν, sed simul relativa, & proinde refert aliquid, quod in textu præcedit. Præcedunt autem verba, *accipite, comedite*, quæ, cùm imperativi modi sint, verbo jubendi sunt explicanda, ut vocula τὸ hoc referat hæc verba: *Quod accipere & comedere vos jubeo; & propositionis integræ sensus sit, Quod accipere & comedere vos jubeo, est corpus meum.* Quidnam verò sit, quod suos discipulos Christus accipere & comedere jussit, intelligitur ex antecedentibus: *accepit PANEM, & cùm benedixisset, fregit, deditque discipulis.* Panem igitur Christus accipere & comedere jussit. Ergo consequenter vocula τὸ hoc denotat panem, & verba, τὸ hoc est corpus meum, significant *hic panis est corpus meum.* Perinde res habet cum alteris verbis Domini: *Bibite ex hoc omnes, τὸ hoc est sanguis meus*: in quibus vocula τὸ hoc itidem refert verbum præcedens *bibite*, quod, quia imperativi modi est, jussionem includit, ut sensus hic sit: *Quod ex hoc vos bibere jubeo, est sanguis meus.* Quid autem bibere Dominus jussit, intelligi datur ex his, quæ præcedunt: *Cùm sumsisset poculum, & gratias egisset, dedit illis.* Ubi poculum per metonymiam sumitur pro eo, quod erat in poculo, hoc est, vino. *Vinum ergo est, quod bibere ex poculo Christus jussit.*

G

jussit.

jussit. Ergo consequenter vocula *δεξιῶν τῶν* hoc designat vinum, quod in poculo erat, & verborum Domini sensus est: *Hoc vinum est sanguis meus.*

LX. Interpretationem hanc confirmat postea Vorstius in capite eodem auctoritate Patrum & Theologorum recentium, qui eundem in sensum verba institutionis exposuerunt, & propositionibus hisce: *panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi*, frequenter usi sunt. Confer ejusdem *Epistolam I. ad Da. D. Titium*, ubi eadem prolixè inculcat & urget.

LXI. Huic ex verbis Domini desumptæ rationi subjungimus alteram, ab incommodo, quo nostra interpretatio premi patatur, petitam. Credit Vorstius, verba institutionis: *accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus*, non posse commodè explicari, ita ut hoc, quod iis Christus edere & bibere jubet, ipsam Christi corpus & sanguinem esse intelligatur. Aut enim vocula *δεξιῶν τῶν* hoc designat panem & vinum, quæ sint & dicantur corpus & sanguis Christi, ob quandam, quæ inter ea intercedat, unionem, eum in modum, quo in Christo hic homo est & dicitur Deus, propter unionem personalem, quæ inter hominem & Deum in Christi persona intercedit: aut designat aliquid cum pane & vino, nempe ipsum corpus & sanguinem Christi, ut quæ edere & bibere jubemur, sint, & dicantur corpus & sanguis Christi, eo sensu & modo, quo porrecto cantharo quis alteri dicit: *accipe, bibe, hoc est vinum*; & significat, hoc, quod cum vel in cantharo accipere & bibere jubet, esse vinum. Hisce enim modis sensus verborum Domini declarari à Protestantibus solet. Sed neutra declaratio admitti potest, ut *libr. I. Dissert. Sacr. c. VI. II. IX. IX.* Vorstius ostendit. Relinquitur ergo tertia, quæ Reformatorum est, quòd panis & vinum sint signa corporis & sang.

& sanguinis Christi. Quartam enim, quòd in corpus & sanguinem Christi panis & vinum mutantur, & vocula τὸ ipsam designet substantiam corporis & sanguinis Christi, sub accidentibus panis & vini contentam (quæ Pontificiorum est) Protestantes ipsimet rejiciunt.

LXII. Tertio loco constituimus rationem desumptam à pugná, quæ interpretationi nostræ intercedere creditur cum illis Scripturæ locis, quæ Christi corpus finitum, & more ceterorum corporum, uno tempore in loco uno esse testantur. Nam juxta nostram interpretationem oportet corpus Christi in locis simul pluribus esse, conjunctum videlicet uno eodemque tempore cum tot panum millibus. Hanc *Vorstius* in primâ acie constituit, & in *Dissertationibus Sacris* lib. I. c. I. & seqq. operosè urget, quam nos, quòd non ex ipsâ hujus controversiæ sede (hanc enim sola verba institutionis constituunt) sed aliunde accersita esset, huc rejecimus.

LXIII. Quartum & ultimum locum tribuimus argumentis, ex ratione naturali petitis, quorum unum est, quòd corpus verum, quale corpus Christi est, suapte naturâ palpabile, visibile & in uno loco sit, cui repugnet, quòd per nostram interpretationem corpus Christi simul in pluribus locis esse statuitur. Alterum quòd si ore corpus Christi edatur, admittendum sit, illud non tantùm in os ingeri, sed & in ipsum stomachum demitti, ac in corporis humani substantiam abire. Quod absurdum. Poterat etiam subjungi argumentum ab autoritate Patrum. Sed hujus suprâ in primâ *Vorstii* ratione n. LX. mentionem fecimus.

LXIV. Hasce suas rationes *Vorstius* in *Epistolâ I. ad Dn. D. Titium* p. 144. & seqq. summatim, ordine tamen non, nihil diverso, repetit: Si verò, inquiens, tibi, mi Titi,
G 2
omniò

omniò tropus id videatur, si corpus dictum sit pro signum
 corporis: contendam ego, istiusmodi tropo carere nos hoc lo-
 co nullo modo posse. Et, post quædam interjecta: licebit con-
 tendere, quòd ipsa rei natura, ut tuis verbis utar, atque aliæ
 circumstantiæ magnam & evidentem necessitatem imponant, à
 sensu proprio verborum recedendi, id est, corpus pro signum
 corporis dictum esse statuendi. Quæ verò necessitas illa sit,
 id, ne sis nescius, exponam tibi. Primò certum est, interpreta-
 tionem eam, quam tu fecisti, perperam esse factam. Est au-
 tem hæc, quòd ad pronomen relativum HOC subaudiendæ sint
 voces: Quod cum pane porrigo; quòd, Hoc est corpus
 meum: dictum sit pro: Hoc, quod cum pane porrigo, est cor-
 pus meum. — Deinde interpretatio tua adversa quoque est
 sacris literis. Si enim vera esset, necesse esset, corpus Christi in
 locis simul pluribus esse, conjunctum videlicet uno eodemque
 tempore cum tot panum millibus. At sacræ literæ docent, cor-
 pus Christi finitum esse, & more cæterorum corporum uno tem-
 pore in loco non nisi uno esse. — Quod corpus Christi uno tem-
 pore in loco tantum uno sit, id clarè ac perspicuè in sacris literis
 perscriptum videmus. Quod ergo scriptum est: Edite, hoc est
 corpus meum, id interpretandum sic est, ne claris atque per-
 spicuis illis Scripturæ locis contradiciat, id est, ne colligatur ex
 eo, quòd corpus Christi in locis simul pluribus sit. Tertio in
 tuâ interpretatione consideranda porrò etiam difficultas illa est,
 quòd putandum per illam esset, corpus Christi non tantum in os
 ingeri, sed & in ipsum stomachum demitti, ac in corporis
 humani substantiam abire. — Quia verò hæc talia sunt
 absurda, licet vel ex hoc intelligi, interpretationem verborum
 Christi, quam tu fecisti, minus rectè factam esse. Nihil nunc
 dico de eo, quòd interpretatio tua ipsi quoque corporis naturæ,
 quæ ipsum palpabile, visibile & in uno loco est, adversatur. Por-
 rò verò non tantum hoc liquere potest, quòd tua illa interpreta-
 tio perperam sit facta, verum etiam, quòd vocula hoc in verbis
 Domini

Domini nihil aliud sit, quam Hic panis, quodq; Hoc est corpus meum, dictum sit pro Hic panis est corpus meum. — Postquam verò intellectum est satis, quod tua verborum Domini interpretatio frivola ac nullius momenti sit; cumq; intellectum etiam hoc fuerit, quod Hoc est corpus meum, dictum sit pro Hic panis est corpus meum, quodq; particula Hoc solum atq; unitum panem designet: intelligetur porrò & illud, quod Hoc est corpus meum, dictum sit pro Hic panis est signum corporis mei. Nam quòd illorum verborum sententia non hæc esse possit, quòd substantia panis sit substantia corporis Christi, de eo monuisti ipse, quod, licet parum eleganter, scripsisti: Panis identicè, ut panis, non est corpus Christi. Deinde eorundem verborum neq; illam sententiam esse posse, quam Chemnitius, Gerhardus & multi recentiorum alii crediderunt, quod videlicet corpus Christi à διὰ τὸ ἄνω ipsi pani conjunctum atque unitum sit &c.

LXV. Hæc Vorstius: quæ nunc eo, quo supra proposita sunt, ordine expendemus, à ratione primâ exorsuti. Primum autem verba Domini, Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus; & quæ in illorum locum Vorstius substituit, hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus, æquipollentia esse, non præter rem quis negaverit. Neq; enim, unde id probari possit, apparet. Non certè ex voculâ hoc, aut vocibus accipite, comedite in verbis Domini, neq; etiam ex verbis Evangelistarum, Accepit panem &c probari potest. Quamvis enim vocula hoc, sine substantivo in genere neutro posita, præter vim demonstrandi, includat etiam notionem cujusdam nominis; non tamen includit notionem nominis panis, sed alterius, latissimè patentis, entis sc. sive rei. atq; sic idem notat quod hoc ens, vel hæc rei, non autem vocibus, hic panis, æquipollet. Neq; etiam, quam rem vocula hoc formaliter & in casu recto designet, panum & vinum? an corpus & sanguinem Christi? periphrases, à verbis accipite, comedite, bibite petitiæ, declarant. Cùm enim utraq; Domi-

nus discipulos suos accipere, comedere & bibere jufferit, periphraſes inde deſumptæ, *Quod accipere & comedere vos volo, Quod bibere vos volo;* non magis convenient *pani & vino,* quàm *corpori & ſanguini Chriſti.* Evangelistarum verba deniq; *Accipit panem, benedixit, fregit & dedit diſcipulis;* item: *Accipit poculum, egit ſuper eo gratias & dedit eis;* quæ præcipuè à Vorſtio in ſubſidium vocantur, commemorant ſaltem, quasnã res Dominus, Eucharistiæ Sacramentum inſtituturus, adhibuerit, *panem ſc. & vinum* in poculo; quæ item circa illas gesserit, nempe quòd egerit *super iis gratias,* quòd *fregit panem,* quòd *dederit* utrumque *diſcipulis* Quanam autem res poſteà in ipſa Sacramenti diſpenſatione per voculam *hoc* formaliter & in caſu recto designatæ à Domino fuerint cùm *accipite, dixit, comedite, HOC eſt corpus meum; bibite ex hoc omnes, HOC eſt ſanguis meus Novi Testamenti,* de eo prorsus ſilent verba Evangelistæ adducta. Tantùm enim, uti dictum, externa concernunt elementa, quæ demùm, Verbo Domini accedente, Sacramentum facta ſunt, juxta illud: *Accedat Verbum ad elementum, & fiet Sacramentum;* & quæ circa eadem geſta à Domino ſunt, exponunt, Si plarè otioſum fuiſſet Verbum Domini, quod ad res terrenas, *panem & vinum,* acceſſit, nec plus hujus ſacræ & ſalutaris Cœnæ convivis accipiendum, comedendum & bibendum reliquiſſet, quam Dominus, illam inſtructurus, de menſa ſumſerat, tùm fortè *panem & vinum* voculã *hoc* in caſu recto à Domino designata fuiſſe, haſq; propoſitiones: *hic panis eſt corpus meum, hoc vinum eſt ſanguis meus;* cum ipſis Domini verbis: *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus;* pari ambulari paſſu, colligi poſſet. Sed ita otioſum & inefficax Verbum Domini fuiſſe, quis dixerit?

LXVI. Certè pia antiquitas ſolicitè admodum diſtinxit inter id, quod S. Cœnam inſtituturus & confecturus Domi-

Dominus adhibuit & in manus sumsit, & inter id, quod instituti ne peractâ, & sacro hoc epulo confecto, discipulis dedit, eosque accipere, comedere & bibere iussit. Illud fuisse panem & vinum, nec quicquam aliud, sancti Patres uno ore omnes fatentur. Quod autem postea accipere, comedere & bibere iussit, cum accipite, dixit, edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus, tantum panem & vinum esse, non æquè affirmant. Qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti, inquit Irenæus, Scriptor antiquissimus, lib. IV. adversus Hæreses c. XXXIV. Si autem panis, post consecrationem, Eucharistia est, duabus constans rebus, terrenâ & cœlesti, nulla profectò necessitas cogit, ut illud, edite, hoc est corpus meum, præcisè de re terrenâ, pane scilicet intelligamus. Cyrillus Hierosolymitanus autem Catechesi Mystagogicâ primâ scribit: Panis & vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat & vinum merum: peractâ verò invocatione panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi. Et Catech. Myst. III. Panis Eucharistiæ, post sancti Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi. His gemina inculcat Ambrosius lib. IV. de Sacramentis c. IV. Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et rursus: Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico, tibi, quod jam corpus Christi est. Et c. V. Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus Christi est. — Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Et lib. de Myst. init. c. IX. Ipse clamat Dominus Jesus, hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nomi-

nomi-

nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.

LXVII. Hæc citata Patrum dicta cum iis, quæ diximus, probè conveniunt, docentque perspicuè admodum quod ante consecrationem Dominus ad conficiendum hoc salutare & sacrum epulum adhibuit, & adhuc hodieque Sacerdotes adhibent, fuisse & panem & vinum, nec præterea quicquam. Quod etiam evincunt verba, ad quæ Vorstius provocat, accepit panem, & cum benedixisset, fregit; item; & accepto poculo ac gratis actis, dedit; quæ non Domini consecrantis, sed Evangelistarum verba sunt, & quid ante consecrationem Dominus sumserit, exponunt. Quod autem postea Christus his verbis: accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus accipere, edere, & bibere iussit, & adhuc, consecratione peractâ, edere & bibere jubemur, esse ipsummet Christi corpus & sanguinem, in eo Patres laudati nobis planè ὁμολογοῦσι sunt.

LXVIII. Vorstius tamen opinatur, ex istis Evangelistarum verbis: Accipit panem, & cum benedixisset, fregit, deditque, syllogismo concludi posse, panem & vinum, non corpus & sanguinem Christi illud esse, quod Dominus, accipite, inquiens, comedite, hoc est corpus meum, discipulos accipere & comedere iussit. Ejus syllogismus lib. I. Dissert. Sacr. c. VII. p. 140. habet ita: Quod Dominus discipulis suis dedit, id fuit idem illud, quod Dominus discipulos accipere atque comedere voluit. Atqui panis iste, quem Christus in manus sumsit, & fregit, fuit ipsum illud, quod Dominus discipulis suis dedit. Ergo panis iste, quem Dominus in manus sumsit, & fregit, fuit illud, quod Dominus discipulos accipere atque comedere voluit. Hujus, inquit porrò, syllogismi propositio
 major

major per se est manifesta. Quis enim credat, Dominum discipulis suis aliud dedisse, & aliud rursus eosdem accipere atque comedere voluisse? Minor deinde non minus manifesta est. Cum enim Evangelista dixissent, Dominum panem sumsisse & fregisse, subdunt deinde, eundem panem & dedisse discipulis suis. Certa ergo ac firma est conclusio, ipsum illum panem, quem Dominus in manus sumsit, ac fregit, fuisse idem illud, quod Dominus discipulos accipere & comedere voluit. Hinc porro eundem illum panem oportere & corpus Christi fuisse, concludit hoc syllogismo principali: Quod Dominus discipulos suos accipere atque comedere iussit, id fuit corpus ejus: Panis iste, quem Dominus in manus sumsit ac fregit, est illud, quod idem discipulos suos accipere atque comedere iussit. Panis igitur quem Dominus in manus sumsit ac fregit, fuit corpus ejus. Majorem propositionem putat fundari in verbis Domini, hoc est corpus meum, quæ idem valeant atque hæc enunciatio: Quod vos accipere atque comedere jubeo, est corpus meum.

LXIX. Verum hæc syllogismi posterioris propositio major, universaliter sumpta, falsa est, vel id certè, quod in principio est, perit. Cum enim, Verbo Domini ad panem accedente, duæ res in hoc sacro epulo adfuerint, terrena una, ipse scilicet panis, quem in manus Dominus sumsit & fregit, altera cælestis, nempe corpus Christi, ut piè credidit antiquitas, & ipsa Domini verba docent; utramque sanè Dominus discipulos suos accipere & comedere iussit: nec tamen utraque corpus ejus fuit, aut esse potuit, sed ea saltem, quam in verbis adjectis, Hoc est corpus meum, voculâ hoc formaliter & in casu recto designavit suumque corpus esse affirmavit. Neque verum est, quod propositio major cum præfixo signo universalitatis (quod in primâ figura præfigi oportet) verbis Domini, hoc est corpus meum, æquipolleat. Esto enim, quod dixit Dominus, accipi-

H

re, com-

eo, comedite, hoc est corpus meum, tantundem esse, ac si dixisset, accipite, comedite, quod vos accipere & comedere volo, est corpus meum, ut Vorstius contendit; non tamen tantundem erit, ac si dixisset, accipite, comedite, OMNE, quod vos accipere & comedere volo, est corpus meum: cum vocula OMNE nec in pronomine HOC, nec in verbis antecedentibus, accipite, comedite, ullo modo contineatur. Si verò propositio major restringatur ad id, quod in verbis hisce, accipite, comedite, hoc est corpus meum, voculâ hoc in casu recto designatur, tum propositio minor evadet falsa, neq; præmissio ad ejus confirmationem prosyllogismo probari poterit. Ejus enim propositio major, cum hâc limitatione accepta, itidem vel particularis vel falsa erit. Non enim OMNE, quod Dominus discipulis dedit, fuit idem illud, quod in verbis hisce, accipite, comedite, hoc est corpus meum, voculâ hoc in casu recto designatum, discipulos accipere atq; comedere voluit: neq; ex verbis Evangelistarum, accepit panem, benedixit, fregit & dedit, quibus prosyllogismi propositionem majorem Vorstius stabilitum ivit, id evinci potest. Quamvis enim in narratione Evangelicâ illa & Domini verba, accipite, comedite, immediatè cohæreant, ut negari non possit, Dominum jussisse discipulos idem illud accipere & comedere, quod eis dedit; tamen, quia dedit panem, super quo acta fuerant gratiæ, & qui jam, Verbo Domini accedente, Eucharistia erat, duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constans, ut Irenæus ait, atq; adeò cum pane etiam rem cœlestem, nempe corpus suum dedit, nulla profectò necessitas cogit, ut OMNE, quod dedit Dominus, idem illud dicamas fuisse, quod in verbis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, voculâ hoc in casu recto designavit, & tanquam rem, sic designatam, accipere & comedere jussit. Præterquam enim quod signum u-

niver-

niversale in textu nullum habetur: non enim dicitur, *accipite, comedite, OMNE, quod vobis do, est corpus meum*, sed simpliciter dicitur, *hoc est corpus meum*; prædicatum etiam non permittit, ut omne illud, quod Dominus dedit, vocalâ τὸτο designari dicamus. Non enim omne illud, quod dedit, corpus ejus est. Ubi autem subjectum ob latitudinem, quam in se, absolutè spectatum, involvit, obscurum aut ambiguum est, ibi ex prædicato illud æstimandum venire, idque tale oportere esse, quale prædicatum permittit, trita Logicorum regula est.

LXX, Quod autem *Vorstius*, suam propositionem majorem confirmaturus: *Quis, inquit, credat, Dominum discipulis suis aliud dedisse, & aliud rursus eosdem accipere & comedere voluisse*; nihil obest his, quæ modò adduximus. Quia enim, uti dictum, Dominus non nudum panem dedit discipulis, sed panem, qui per consecrationem jam tum Eucharistia, duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constans, factus fuerit, sanè utramque rem, terrenam scilicet & cœlestem, hoc est, panem & corpus suum, Dominum discipulis dedisse necesse est. Si autem, præter panem, etiam corpus suum dedit, certè non aliud discipulis dedisse, & aliud eos accipere & comedere voluisse statuitur, cum suum corpus eos verbis hisce, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, accipere & comedere voluisse, idque vocalâ τὸτο formaliter & in casu recto designasse asseritur.

LXXI. Sed adhæc excipiet *Vorstius*, per consecrationem nihil aliud collatum esse pani, quem in manus Dominus sumsit, quàm ut sacrum constitueretur signum corporis Christi, & ad usum sacrum destinaretur.

LXXII. Ita sanè sentiunt Reformati, & cum eis *Vorstius*, sed non ad mentem verborum Domini. Si benedictione peractâ, dixisset Dominus, *accipite, comedite, hoc est si-*

H 2

gnum

gnum corporis mei, exceptio hæc dubio procul locum habitura esset, ita enim verba, *hoc est signum corporis mei*: quem ipsa & benedictionis prævia verba scopum & vim habent, oppidò declararent, nempe ut ad usum sacrum panis destinaretur, & corporis Christi signum sacrum constitueretur. Quia autem Christus non illud, sed hoc dixit, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, atque sic non signum, sed ipsummet corpus suum esse dixit, quod accipere & comedere iussit, haud quaquam nobis convenit, contra hæc Domini verba expressa statuere, ipsa, & quæ eis præmissa sunt, benedictionis verba non plus, quam ut in ratione sacri signi panem constituent, valere, sed contra statuitur oportet, tantum ea valere, ut, quod sonant, virtute Christi dicentis, reapse præstare possint & præstent, hoc est, faciant, ut corpus Christi sit, quod accipere & comedere jubent.

LXXIII. Atque hæc perpetua & constans piæ antiquitatis sententia fuit. *Irenæus*, loco supra citato, disserit contra hæreticos, qui Christi æternam Deitatem negabant, & hæresin hanc impugnaturus supponit, tanquam in Ecclesiâ notum, & ab ipsismet hæreticis concessum, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini, & scribit proinde paulò ante verba, superiùs n. LXXVI. adducta: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ipsius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes: & dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, domum plenum triticum in spica.* Quibus id significat, ut credatur, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini, oportete credi, eum, qui dixit, *hoc est corpus meum*, esse Filium fabricatoris mundi, hoc est, *Verbum ejus*, per quod condita sint omnia, quodque suâ
omni-

omnipotentiâ efficere & reapse præstare id, quod dixit, possit. Si verò mens B. Patris esset, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, per gratiarum actionem & consecrationem tantum constitutum esse signum Corporis Christi, ut illud, licet absens, per modum signi tepræsenteret, quid opus fuerit hæc credituro, credere, Dominum esse Filium fabricatoris mundi, Deumque omnipotentem? Annon solâ suâ voluntate Christus, sine ullâ à divinâ potentiâ profectâ operatione, panem Eucharisticum sui corporis signum constituere poterat? Annon illis etiam, qui Christum Filium fabricatoris mundi esse negant, constare poterat, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse signum corporis Christi, ubi semel constitisset, Christum, licet hominem nudum, voluisse eum per gratiarum actionem sui corporis signum constituere? neque enim ad constituendum signum, ex instituto significans, quale panis respectu corporis Christi est, aliqua intrinseca & divinâ potentiâ ei insita virtus, per quam significare alterum possit, requiritur, sed ad hoc sola instituentis voluntas extrinseca sufficit, ut alibi decetur.

LXXIV. Clariùs hanc in rem sese explicat *Ambrosius*, cujus verba nonnulla superiùs adscripsimus, hîc autem, majoris perspicuitatis causâ, cum iis, quæ sequuntur & præcedunt, repetemus. Ita autem ille *lib. IV. de Sacram. c. IV. Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus: quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Consecratio igitur quibus verbis est? cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro regibus, pro cæteris: ubi venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis serminibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi*

H 3

hoc

hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? **NEMPEIS,**
QVO FACTA SUNT OMNIA. Jussit Dominus, &
 factum est cœlum. Jussit Dominus, & facta est terra. Jus-
 sit Dominus, & facta sunt maria: Jussit Dominus: omnis
 creatura generata est. Vides ergo, quàm **OPERATORIUS** sit
 sermo Christi? Si ergo **TANTAVIS** est in sermone Domini Jesu,
 ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis **OPERATO-**
RIUS est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum
 non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem,
 ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.
 Ergo, tibi ut respondeam: non erat corpus Christi ante consecra-
 tionem. Sed post consecrationem, dico tibi, quod jam corpus est
 Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum
 est &c. Quæ ubi exemplis, à Christi incarnatione & ali-
 unde petitis, illustraverat, concludit: Ex his igitur omni-
 bus non intelligis, quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus
 est in fonte terreno: si operatus est sermo cœlestis in aliis rebus:
 non operatus est in cœlestibus Sacramentis? Ergo didicisti, quòd
 ex pane fiat corpus Christi: & quòd vinum & aqua in calicem
 mittitur; sed **FITS ANGVIS CONSECRATIONE VERBI**
COELESTIS. Hæc prolixius deducit in lib. de iis, qui ini-
 tiantur mysteriis, cap. IX. Ubi objicienti: Aliud video, quo-
 modo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam: responsu-
 rus, probandum sibi sumit, non hoc esse, quod natura for-
 mavit, sed quod benedictio consecravit, majoremq; vim esse be-
 nedictionis, quàm naturæ: quia benedictione etiam natura ipsa
 mutatur; & post adducta ex Scripturis plura exempla, in
 quibus gratia supra naturam operata sit, in hæc tandem
 definit verba: Quod si tantum valuit humana benedictio, ut
 naturam converteret: quid dicimus de ipsa **CONSECRATIONE**
 divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris **OPERANTUR?**
 Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone confici-
 tur.

eur. Quod sit tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo depremeret, non valuit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Sermo igitur Christi, quis potuit ex nihilo facere, quod non erat: non potest ea, quae sunt, in id mutare, quae non erant? Non enim minus est, non vas rebus dare, quam mutare, naturas &c. Confer eundem lib. IV. de Sacram. cap. V. & Cyrillum Hierosolymitanum Casbech. Mystag. IV.

LXXV. Ne quis autem de quâdam verbis consecrationis impressâ vi magica hæc accipiat, quæ *Ambrosius* in locis citatis aliique Patres alibi de virtute consecrationis operatoriâ dixere, sciendum est, ea tribui verbis consecrationis, non quod ex se & suâ quâdam intrinsecâ vi tale quid operentur; sed quod sint verba ipsius omnipotentis Filii Dei, & simul ac proferuntur, divinam operationem habeant conjunctam, quâ, quod ipsa sonant, reapse præstetur.

LXXVI. Atquæ hæc, quæ de Patrum sententiâ modò diximus, *Vorstius*, non planè diffiteri potest. Quamvis enim ipse consecrationi nihil tribuat, nisi quod symbola externa, panem & vinum, constituat sacra signa corporis & sanguinis Christi, atque adeò ad sacrum usum destinat; veteres tamen plus ei tribuisse, veritatis vi convictus, fatetur. Scribit enim, veteres statuisse in S. Coenâ compositionem quandam ex re terrenâ & cœlesti, & credidisse, eum panem, in quo acta sunt gratiæ, esse eucharistiam, duabus rebus terrenâ & cœlesti, constantem, ut dixit *Irenæus*: neque negat, eos adscripsisse præsentiam rei cœlestis ipsi virtuti consecrationis. Obtendit autem, per rem cœlestem illos non intellexisse ipsum corpus Christi, sed saltem virtutem quâdam, quæ pani & vino per consecrationem infun-

infun-

infundatur. In sacrâ Eucharistiâ, inquit libr. II. Dissert. Sac. c. II. pag. 21. compositionem mult. hodie statuunt istiusmodi, quâ ipsum propriè dictum Domini corpus adjungatur atque uniatur pani: Ipse item propriè dictus Domini sanguis adjungatur vino. At vetus Ecclesia compositionem in sacrâ Eucharistiâ multum diversam statuit. Non credebant illi, Eucharistiam constare pane & corpore Christi, vino & sanguine Christi: sed credebant, Eucharistiam constare PANE & VIRTUTE PANIS, VINO & VIRTUTE VINI. Eadem inculcat etiam in Epist. II. ad D. T. tum p. 127. & seq. ubi de Irenæi loco, superius à nobis adducto, ita differit: Dicit quidem Irenæus, Eucharistiam constare duabus rebus, terrenâ & cœlesti; sed non dicit, duas istas res, quibus Eucharistia constet, panem & propriè dictum corpus Christi esse. Quod verò dicit, illud est, Eucharistiam constare duabus rebus, terrenâ atque cœlesti, Hic tu rem cœlestem de corpore Christi propriè dicto accipere videris, secutus Ἰὼν μέγαν Chemnitium tuum, qui in Examine Concilii Tridentini, ubi de Transsubstantiatione agit, audacter & sine hæsitatione scribit: Non utemur conjecturis, sed audiamus ipsum Irenæum explicantem se. Mox enim subjicitur, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, pane scilicet & vino, & cœlesti, corpore scilicet & sanguine Christi. Putat hic, rem cœlestem de qua Irenæus agit, nihil aliud esse posse, quam corpus & sanguinem Christi. Verùm sciendum, veteres in sacrâ Cœnâ statuisse quidem compositionem quandam, verùm non panis & corporis Christi, sed PANIS & VIRTUTIS, quæ sit in pane; & post loca quædam veterum allata, subjicit pag. 130. Istam igitur δύναμιν ζωῆς, istam virtutem invisibilem, de quâ hi Auctores scribunt, quòd pani eucharistiæ infundatur atque insit, intellexit Irenæus, cum eucharistiam re terrenâ & re cœlesti constare scripsit; atque ita ipsam virtutem panis rem cœlestem vocavit. Quem in
sensum

sensum explicat in *Dissert. Sacr. lib. II. c. IX.* etiam phrasas, Patribus receptas, corpus Christi consecratione effici, fieri. *Efficere, inquit, corpus Christi, nihil aliud est, quam panem efficere spiritualem, vel ut magis perspicue dicam, facere ut panis corporis Christi sit Sacramentum, eidemq; pane SINGULAREM QUANDAM VIRTUTEM IMMITTERE.* Et rursus: *Consecrare corpus Christi, concisè dictum est, pro consecrare panem, atque ita facere, ut panis sit Sacramentum corporis Christi, & SINGULAREM IN SE VIRTUTEM HABEAT.*

LXXVII. Verùm hæc si vel maximè ita haberent, in hoc tamen Ecclesia vetus à nostris staret partius, quòd cum de corpore & sanguine Christi, an in sacrâ Coenâ accipiantur, & illud comedatur, hic bibatur, quæstio oritur, non ex his Evangelistarum, *accepit panem, & cum benedixisset, freget; sed ex ipsis Domini verbis, accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus, iudicium ferri, & quæstionem dirimi oporteat.* His enim, non aliis verbis Ecclesia vetus inducta est, ut consecrationi illam, quam diximus, efficaciam adscriberet, & quod ante consecrationem nil nisi panem & vinum, aquâ mixtum, esse agnoscebat, post illam corpus & sanguinem Christi esse piâ simplicitate crederet, sive corporis & sanguinis appellatione ipsum intellexerit corpus & sanguinem Christi, sive virtutem aliquam, pani & vino infusam, per quam, quæ corpus & sanguis Christi credentibus conferunt, panis & vinum dignè communicantibus conferre possint & conferant. Absque illis enim si esset, ne talem quidem virtutem infusam in pane & vino admittere potuissent. *Vide (inquit Ambrosius post recitata consecrationis verba,) omnia illa verba Evangelistæ sunt usque ad: Accipite, sive corpus sive sanguinem. Inde VERBA SUNT CHRISTI: Accipite, bibite ex eo omnes: hoc est enim sanguis meus. Vide singula*
Quæ

Qui pridie, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecratur, panis est: ubi autem **VERBA CHRISTI** accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: hoc est corpus meum. Et ante **VERBA CHRISTI**, calix est vini & aquæ plenus: ubi **VERBA CHRISTI OPERATA** fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens est **SERMO CHRISTI** uniuersa convertere. Deinde **IPSE DOMINUS JESUS TESTIFICATUR** nobis, quod **CORPUS SUUM** accipiamus & **SANGVINEM**. Nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare? Verba, quæ supra etiam citauimus, extant lib. IV. de Sac. c. IV. Et præcedente cap. IV. Consecratis, ait, quibus verbis est, cujus sermonibus? **DOMINI JESU**. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur: laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, non jam suis sermonibus, sed utitur **SERMONIBUS CHRISTI**. Ergo **SERMO CHRISTI** hoc conficit Sacramentum. His gemina alibi apud Patres passim occurrunt, quibus quicquid est efficaciam, quod consecrationi adscribunt, id omne referunt in verba Christi, accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus; ut de quæstione controversa: an ipsum corpus & sanguinem Christi in sacrâ Cœnâ accipiamus? omnîo ex his ipsis, non ut Vorstius vult, ex verbis Evangelistæ præcedentibus, accepit panem, & cum benedixisset, freget, judicari oportere censuerint. Quo semel admisso, rectius sanè nos statuimus, ipsum corpus & sanguinem Christi accipi in S. Cœnâ, illudque edi, hunc bibi, quàm, ex Vorstii mente, veteres statuerunt, panem saltum & vinum cum virtute infusâ accipi, edi & bibi. Neque enim Dominus dixit, accipite, comedite, hoc est virtus quædam vivifica in pane & vino, aut hoc est panis; & hoc

& hoc est vinum cum virtute infusâ, sed hoc est, quod dixit: accipite, comedite, HOC EST CORPUS MEUM, bibite, HOC EST SANGUIS MEUS.

LXXIIX. Dispiciamus tamen de eo etiam, an in locis Patrum adductis corpus & sanguis Christi idem notent, atque signum corporis & sanguinis Christi, cum virtute invisibili in pane & vino? & num efficere corpus & sanguinem Christi veteribus sit facere, ut panis corporis, & vinum sanguinis Christi signum sit, eisdemq; singularem quamdam virtutem immittere? ut Vorstius nobis persuasum vult. Obstant autem huic commento, inter alia, hæc, quæ modò diximus, nempe Veteres non fuisse aliunde inductos, ut, quod post consecrationem in sacrâ Cœnâ accipimus & comedimus, corpus & sanguinem Christi esse assererent, quàm his ipsis verbis Christi: accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus. Cum enim in hoc profundissimo mysterio, quo suum corpus Dominus edendum, suumque sanguinem bibendum nobis dispensat, à proprietate verborum Domini ad tropum deflectere, & corpus ejus in signum corporis illius, & sanguinem ejus in signum sanguinis ipsius transformare ipsis religio esset, ratione sub obsequium fidei captivatâ, standum duxerunt simplicitate verborum, Dominumq; qui verax & potens est, suâ omnipotentiâ facere id, quod verba sonant, posse & velle, nihil dubitantes, post consecrationem ejus corpus & sanguinem esse, quod ante consecrationem panem & vinum fuisse. Evangelistæ testantur, piè crediderunt, rati, si secus crederent, verbis Domini, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, per ipsos, minimè suam constituram veritatem. Cum igitur Christus ipse affirmer, atque dicat de pane, hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoq; confirmante & dicente, Hic est sanguis meus, quis inquam dubitet,

1 2

diceret, & dicat, non esse illius sanguinem? ait Cyrillus Hierosolymitanus in Catech. Mystag. IV. Cui succinit Ambrosius citato lib. IV. de Sacr. c. V. Ipse, inquit, Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare? Si ergo, quæ ante consecrationem panis & vinum erant, post consecrationem Patres propterea corpus & sanguinem Christi esse statuerunt, ut verbis Domini, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, sua constare veritas, nec dicere ququam posset, non esse ejus corpus & sanguinem, quæ in sacra hac Cœnâ accipimus, edimus & bibimus, nec esse utique est, ut corpus & sanguinem Christi eo acceperint significatu, quo in ipsis verbis Domini, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, accipiuntur: aliàs si in significato alio, & quidem, ut Vorstius vult, pro pane & vino cum infusâ virtute invisibili ea accepissent, adhuc verè dici posset, non est corpus Domini, quod suum corpus esse testatur, non est sanguis ejus, quod suum sanguinem esse testatur. Neque enim panis cum virtute infusâ, corpus Domini; aut vinum cum virtute infusâ sanguis Domini est. Sed consequens hoc Patres pientissimi in iis habebant, quæ absurda sunt, & quæ Christo dicenti, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, fidem derogant. Relinquitur ergo, quod corpus & sanguinem Christi eo, quo in verbis Domini accipiuntur, significato acceperint. At in his neque corpus Domini accipitur pro pane cum infusâ virtute invisibili, neque sanguis ejus pro vino cum infusâ virtute invisibili, sed illud sumitur pro ipso substantiali corpore Christi, quod pro nobis traditum & crucifixum est, Luc. XXII. 19. I. Cor. XI. 24. hic pro ipso substantiali sanguine Christi, qui est sanguis ille novi testamenti, qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum, Matt. XXVI. 28. Marc. XIV. 24. Ergo nec laudati

dati

dati Patres, quando fide verbis Domini habitâ, crediderunt & credendum docuerunt, panem, post consecrationem, esse Christi corpus, & vinum, post consecrationem, esse sanguinem Christi, per corpus & sanguinem Christi intellexerunt panem & vinum cum virtute insibili infusâ, sed contra intellexerunt ipsum substantiale Christi corpus, quod in utero Mariæ virginis assumptum, & postea in mortem traditum est, & ipsum substantialem ejus sanguinem, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum: sicut etiam Ambrosius in locis supra citatis corpus Christi, quod in S. Cœnâ accipimus, adjecta periphrafi, vocat corpus quod ex virgine est: & sanguinem, quem in eâdem accipimus, vocat sanguinem Christi, qui plebem redemit.

LXXIX. Sed ipsa verba Ambrosii inspiciemus. In libro de iis qui mysteriis initiantur, c. IX. objicit Ambrosius: Fortè dicas, aliud video, quomodo tu mihi dicis, quod Christi corpus accipiam? Cui objectioni occasionem præbuerat instituta in proximè præcedentibus comparatio inter manna de cælo & carnem Christi, quæ est corpus vitæ, utrum sit præstantius illudne, quod erat è cælo & corruptioni obnoxium? an hoc, quod est supra cælum, & Domini cælorum, atque ab omni corruptione alienum? Quemadmodum autem in hâc collatione corpus Christi citra dubium propriè pro ejus substantiali corpore accipitur, ita quod ejus occasione objicitur: quomodo tu dicis, quod Christi corpus accipiam; non potest non de eodem Christi corpore accipi, idque evincit etiam ratio dubitandi adjecta: aliud video; quæ utique supponit, quod cum Christi corpus in sac. â Cœnâ accipere dicimur, de corpore Christi vero & substantiali, quod suapte naturâ visibile est, id accipi oporteat. Aliàs enim si aliqua pani Eucharistico infusa virtus ejus appellatione intelligeretur, hæc ratio dubitandi prorsus inepta & nulla esset. Nam illa pani infusa virtus sup. pte

naturá invisibilis esset. Porto objectionem hanc soluturus *Ambrosius*, dicit primùm, non hoc, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, hoc est, non panem nudum, sed qui benedictione consecratus est, esse corpus Christi, quod in sacrâ Cœnâ accipimus. Ne quis autem hoc etiam in iis, quæ fieri non possint, habeat, benedictionis vim & efficaciam commendare, incipit, sibiq̄ue ostendendum sumit, majorem vim esse benedictionis, quàm naturæ, ut, licet per naturam panis Christi corpus esse nequeat, per benedictionem tamen ut corpus Christi sit, fieri posse credatur; idq̄; ostendit productis ex Scripturâ veteris Testamenti exemplis pluribus, in quibus benedictione multa secus, quàm per naturales causas fieri possint, facta sunt. Tandem concludit: Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsâ consecratione divinâ, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. — Sermo igitur Christi potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas. Postea affert exemplum nativitatis Christi, in quâ non naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Mariâ nasceretur. Si enim naturæ ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueverat. Ex quo infert, quod præter naturæ ordinem virgo generaverit, & accommodatione ad institutû factâ, subjungit: **Et HOC QVOD CONFICIMUS CORPUS, EX VIRGINE EST.** Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo illius carnis Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus, hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi

Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat. Quibus quid dicit clarius poterat? Ut ostenderet sanctus Pater, in hoc venerabili mysterio non spectandum esse ordinem naturæ, sed credendum, quòd præter naturam corpus Christi accipiamus, licet non ipsum, sed aliud nempe panem tantum videamus, præter alia, in quibus gratia supra naturam operata est, ex Scripturis veteris Testamenti adducta exempla, affert etiam Christi generationem præter naturalem, & docet, quòd, sicut in illâ non spectandus est naturæ ordo, cum præter hunc Christus ex virgine natus sit, ita nec in sacrâ Cœnâ ordinem naturæ spectare debeamus, cum præter naturam, verbo Christi operante, fiat, ut corpus ipsius accipiamus. Et, ne de alio improprie dicto corpore id intelligatur, addit: & hoc quod (consecratione) conficimus corpus, **EX VIRGINE EST.** Quod, citra violentissimam detorsionem, non alio accipi sensu potest, quàm hoc: illud ipsum corpus, quod in utero virginis assumptum & ex eâ natum est, ut accipiamus in sacrâ Cœnâ, conficere sive efficere sacerdotem per consecrationem, ut quemadmodum vera est caro Christi, quæ crucifixa est, ita etiam verè carnis illius Sacramentum sit, quod Dominus Jesus clamans: *hoc est corpus meum*; instituit, atque adeò ipsa ejus caro, quæ crucifixa, quæ sepulta est, sit illud, quod vi horum verborum accipimus. Denique addit, & tu dicis *amen, hoc est, verum est*, ad significandum, fideles, qui consecrationi interfunt, & verbis institutionis, *hoc est corpus meum*, auditis, *amen* dicunt, fateri verum esse, quod verbis Domini dicitur, hoc est, id esse corpus Christi, quod illa corpus Christi esse affirmant: unde par esse, ut
quod

quod os loquitur, & verum esse fatetur, etiam mens interna fateatur, & verum esse credat.

LXXX. De verbis *Ambrosii*: *Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi SIGNIFICANTUR*; obiter moneo, frustra esse illos *Reformatorum*, qui hic ex verbo, significantur, colligunt, B. Patris mentum non esse, quod post consecrationem verè corpus Christi sit, quod ante eam *Evangelista panem* nominabat, sed quod post consecrationem corpus Christi per panem significetur, vel quod panis per consecrationem signum corporis Christi constituatur. Neq; enim contextus verborum *Ambrosii* permittit, ut verbum significatur hic ad panem referamus, cum ad verba Domini, hoc est corpus meum, pertineat, & sensus hic sit: verbis his, hoc est corpus meum; significari, corpus Christi esse, quod ante consecrationem verbis *Evangelistæ*, accepit panem, panis nominabatur. Ita enim habet contextus verborum: *Ipsè clamat Dominus Jesus, hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum caelestium alia species, panis scilicet, nominatur, puta verbis Evangelistæ, dicentis, Accepit panem: post consecrationem corpus Christi significantur, puta verbis Domini Jesu, clamantis, hoc est corpus meum. Quod idem est, ac si dixisset Ambrosius: Post consecrationem Dominum dicentem, hoc est corpus meum; testatum esse, ipsummet corpus suum esse, quod, ante eam, panem Evangelista nominaverat. Sed hæc ὡς ἐν παράδεισῳ!*

LXXXI. Æquè perspicua sunt, quæ *lib. IV. de Sacram. c. IV. & V.* in sensum prorsus eundem laudatus Pater differit. Verba cum superius bonam partem adducta, & his quæ jam ordine expendimus, paria sint, nunc non repetemus, sed lectore ad ipsum *Ambrosii* librum remisso, ubi ea in suo contextu videat & ponderet, ad locum *Irenæi*, hac-

nae, hac-

naei, hactenus plus simplici vice inculcatum, pergimus. Dicit *Irenaeus*, panem terrenum, sive, ut ejus verba habent, qui est à terrâ, percipientem vocationem, (hoc est, invocationem) jam non esse communem panem, sed *Eucharistiam*, ex duabus rebus constantem, terrenâ & cœlesti. Quibus quid appellatione rei terrenæ intelligat, non operosâ indiget explicatione. Quod enim panem intelligat, indicant verba: qui à terrâ est panis. Qua de re facilè inter omnes convenit. Per rem cœlestem verò quid intellectum velit, declaratione opus habet, præsertim cum à *Vorstio* id in controversiam vocari videamus. Communis sententia est, eum intelligere corpus & sanguinem Christi, quam & nos veram judicamus, amplexique sumus. *Vorstius* contra contendit, non corpus & sanguinem Christi, sed quandam virtutem, panis ac vino infusam, ejus appellatione intelligendam venire, sed *Irenæi* contextu, & quæ eum præcedunt, repugnantibus: quæ *Vorstius* vel obiter & velut pertransennam aspexit, vel datâ operâ in sensum hunc obtorto quasi collo trahit. Ita autem verba habent in contextu: Quemadmodum qui est à terrâ panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed *Eucharistia*, ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia *Eucharistiam*, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Quibus nostrorum corporum incorruptibilitatem Auctor ex doctrinâ de *Eucharistiâ* adstruit. Corpora nostra, inquit, percipientia *Eucharistiam*, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Causam reddit hanc, quod *Eucharistia* duabus rebus constet, terrenâ & cœlesti, & corpora nostra, percipientia *Eucharistiam*, rem utramque, atque adeo cum terrenâ etiam cœlestem percipiant, quæ à corruptione corpora nostra præseruet. Per rem cœlestem ergo intelligit rem
K
aliquam

aliquam, quæ percepta incorruptibilitatem corporibus nostris adferat. Quænam verò hæc? an aliqua virtus in pane & vino Eucharistia? an verò ipsum corpus & ipse sanguis Christi? Audiemus ipsum Irenæum, sensa animi in his, quæ præcedunt, conceptis verbis explicantem. Præcedunt autem hæc: *Quomodo autem dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à CORPORE DOMINI ET SANGVINE alitur?* Opposita hæc sunt hæreticis, qui eum, in quo actæ sunt gratiæ, panem corpus Domini sui, & calicem sanguinem ejus, esse agnoscebant, & tamen resurrectionem mortuorum negabant: Quæ duo Irenæus in iis habet, quæ repugnant, & propterea statim subjicit: *Ergo aut sententiam mutant (& desinant corporum resurrectionem negare) aut abstineant offerendo, quæ prædicta sunt, corpus scilicet & sanguinem Christi.* Ratio ejus, quam subintelligendam relinquit, est hæc: quia corpus & sanguis Christi vivifica sunt, & in Sacramento Eucharistia percepta, ne in corruptionem corpora nostra deveniant, prohibent. Corpus ergo & sanguis Christi sunt res illa cœlestis, quæ percepta corporibus nostris incorruptibilitatem affert. Ergo cùm post hæc Irenæus, de Eucharistia & corporum nostrorum incorruptibilitate suam declaraturus sententiam: *Quemadmodum, inquit, qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia; per rem cœlestem corpus & sanguinem Christi, nec quicquam aliud, intelligit.* Hæc sola enim sunt, quæ in Eucharistia percepta incorruptibilitatem corporibus nostris, juxta eum, afferunt. Virtutis autem, pani & vino Eucharistico infusæ, in toto contextu Irenæus ne semel quidem meminit

LXXXII. Quid? quod alibi etiam *Irenæus*, resurrectionem mortuorum argumento eodem asserturus, contentam in Eucharista rem cœlestem expressè in substantiali Christi corpore & sanguine constituit. Scribit enim lib. V. adversus hæreses, fol. m. 296. Quando ergo & mixtus calix & factus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia **SANGVINIS ET CORPORIS CHRISTI**. Quæ quoad rem coincidunt cum alteris ipsius verbis: Qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Quod enim hic dixit: qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, est Eucharistia; pro eo dixit illic, mixtum calicem & factum panem, percipientem Verbum Dei, fieri Eucharistiam; sensu plane eodem. Quod porro in loco priorî Eucharistiam constare dixit re cœlesti; pro eo in loco altero eandem dixit Eucharistiam corporis & sanguinis Christi, re cœlesti, quâ constat, suis nominibus expressâ. De virtute autem, pani & calici mixto infusâ, quæ corpus & sanguis Christi dicatur, hic etiam altum silentium est.

LXXXIII. *Irenæum* secutus est *Augustinus*, ejusq; , quod ad rem cœlestem Eucharistiæ attinet, interpretem egit, quando apud *Gratianum* de Consecr. Dist. II. c. XLIIIX. Hoc est, inquit, quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & **INVISIBILI DOMINI NOSTRI JESU CARNE ET SANGVINE**, Sacramento & re Sacramenti, id est, **CORPORE CHRISTI**, sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine: cum ipse Christus sit Deus & homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ Sacramento & re Sacramenti, id est **CORPORE CHRISTI**. Quod *Irenæus* rem terrenam dixerat, id *Augustinus* hic visibilem

ibilem elementorum (panis scilicet & vini) speciem appellat : & quod ille indefinite dixerat, rem caelestem, illud hic distincte in visibilem Domini nostri Jesu carnem & sanguinem esse declaravit.

LXXXIV. Ut autem verba haec vel ipsa luce meridiana clariora esse videantur, Vorstius tamen in Epist. II. ad D. Titium, pag. 130. contendit, Augustinum in hoc etiam loco per carnem & sanguinem Christi nihil intellexisse aliud, quam aliquam virtutem in pane & vino Eucharistiae. Ipsam, inquit, virtutem, quam pani & vino inesse veteres statuebant, Augustinus carnem atque sanguinem Christi vocavit; sui, ut videtur, non satis memor. Nam praecedente pag. 127. ut paulo ante vidimus, negabat, in verbis Irenaei per rem caelestem intelligi corpus & sanguinem Christi, quod eam Christi corpus & sanguinem esse Irenaeus non dixisset. Dicit quidem, inquit, Eucharistiam constare duabus rebus, terrenam & caelestem; sed non dicit, duas istas res, quibus Eucharistia constet, panem & proprie dictum corpus Christi esse; & proinde tantum virtutem aliquam in pane & vino intelligendam esse contendebat, quamvis reclamante, ut ostendimus, contextu. Hic autem quamvis rem caelestem Augustinus expressis verbis in visibilem Domini nostri Jesu carnem & sanguinem dicat, rursus tamen contendit, etiam Domini nostri Jesu carnem & sanguinem augusto Patri nihil esse aliud, quam virtutem, quae pani & vino Eucharistiae insit, ut sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu CARNE ET SANGUINE, idem valeat, atque illud constare ex pane & vino, & ex virtute in pane & vino. Quae dicta Patrum torquendi licentia si concedatur, nihil in illorum scriptis relinquetur certum, nec quicquam supererit, quam ut cuique permittatur, ut Patrum verbis sensum

ſenſum, quem velit, imponat, & pro ſua opinione præ-
conceptâ quilibet per quodlibet interpretetur.

LXXXV. Detorſionem *Vorſtius* lib. II. Diſſ. Sac. cap. II. colorare conatur adjectis ibidem verbis *Auguſtini*, quibus ſacrificium *Eccleſiæ* etiam ſacramento & re ſacramenti conſtare dixit. Poſtquam enim dixerat: Hoc eſt, quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet *Eccleſiæ* duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie & inviſibili *Domini* noſtri *Jeſu* carne & ſanguine; mox ſubjicit: SACRAMENTO ET RE SACRAMENTI. Cùm rō lib. XI. c. 25. de Civ. Dei per rem Sacramenti VIRTUTEM & GRATIAM Sacramenti ab *Auguſtino* intelligi perſuaſum *Vorſtius* habeat, colligit hinc, quòd hinc etiam per rem Sacramenti non ipſum *Chriſti* corpus & ſanguis, ſed virtus aliqua & gratia Sacramenti *Eucharistiæ* intelligenda veniat. Verùm ut de hujus collectionis infirmitate nunc nihil dicam, ad alia *Auguſtini* loca ut digrediamur, & ex illis demum, quid per rem Sacramenti hic intellectum velit, diſcamus, nihil opus eſt; cùm hoc ipſo in loco *Auguſtinus*, ſuorum, verborum interpres certiffimus, ſemetipſum perſpicuè interpretetur. Poſt voces enim: & re Sacramenti; ſtatim hanc ſubjicit ἐπεὶ ἔν ἡμῶν: i. e. CORPORE CHRISTI. Quam poſtea in eodem contextu repetit: Conficitur autem, inquit, ſacrificium *Eccleſiæ* Sacramento & re Sacramenti id eſt CORPORE CHRISTI. Corpus *Chriſti* igitur laudatus *Pater* per rem Sacramenti hic intelligit, non tantùm virtutem quandam & gratiam Sacramenti. Taceo nunc, quòd alter *Auguſtini* locus in lib. XI. c. 25. de Civ. Dei, ex quo eum *Vorſtius* bis citat, ſemel in pag. 41. & iterum in pag. 44. non inveniatur. Forſan lib. XXI. de Civ. Dei c. XXV. allegare *Vorſtius* voluit: quamvis nec in illo extant transcripta ab ipſo verba hæc: Sacramentum quidem foris habens, ſed rem ipſam non tenent intus, cujus eſt Sacramentum,

rum, & ideò sibi iudicium manducant & bibunt: sed hæc saltem phrales, quæ quidem facere huc possint, leguntur ibi; non solo Sacramento, sed reipsâ manducare corpus Christi, non Sacramentotenus, sed reverâ corpus Christi manducare: de quibus, qui vult, videat Chemnitium lib. de Fund. SS. Cœnæ cap. X. fol. m. LXVI.

LXXXVI. Urget prætereà Vorstius, quòd passim locorū veteres in pane & vino Eucharistiæ virtutem quandam invisibilem agnoscant. Sed hæc etiam ratio ejus infirma est. Si enim concludere hinc velit, quòd non corpus etiam & sanguinem Christi in Eucharistia adesse agnoverint, elumbis & lubrica erit consequentia. Nam duo hæc: in pane consecrato, qui eucharistia est, duabus constans rebus, terrenâ & cœlesti, (hanc enim per panem consecratum veteres intellexisse, audivimus supra ex Irenæo) inest quædam virtus invisibilis; & in eodem inest caro sive corpus Christi; non pugnant inter se, ut, qui prius statuit, rectè posterius negare censeatur, sed benè ambo stare simul possunt, ut asserto uno, alterum etiam asserti citra contradictionem possit. Imo verò virtutem invisibilem veteres non videntur in pane Eucharistiæ agnovisse, quòd illam formaliter & subjectivè ei inesse opinarentur, sed quòd eam inesse crederent mediante carne Christi. Loca Patrum, quæ in lib. II. Dissert. c. II. Vorstius hanc in rem adducit, & in Epist. II. ad D. Titium ex parte repetit, excutere, nunc non vacat, neque chartæ angustia permittit. Unum saltem, quem in nominata Epistola pag. 128. primo loco affert, inspiciemus. Is desumptus est ex Sermone de Sacra Cœna, qui habetur inter opera Cypriani fol. m. 309. & habent citata à Vorstio verba ita: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita sacramento visibili divina se infundit essentia. In Auctore autem verborum contextus hic

us hic est: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat,
non effigie sed naturâ mutatus omnipotentia verbi factus est ca-
ro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat
divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infun-
dit essentia. Quibus sanè Auctor divinam essentiam se infun-
dere dixit in sacramentum visibile, ita ut simul panem istum,
quem Dominus porrigebat, NON EFFIGIE, SED NATURA
MUTATUM, omnipotentia verbi CARNEM factum dice-
ret. Quidnî ergo mentem ejus ita interpretemur, ut es-
sentiam divinam se infundere dixerit in panem, non effi-
gie, sed naturâ per omnipotentiam Verbi mutatum, &
carnem factum, mediante carne Christi, & in quantum ipsa
carni Christi infusa, vel potius unita est? Et quî possit a-
lius verborum sensus esse? Neque enim facile quis dixe-
rit, essentiam divinam inesse pani immediatè, aut esse
cum pane unitam, ut in persona Christi cum ejus huma-
nitate unita est: præsertim cum in verbis institutionis
non dicatur, hoc est Deus, vel hoc est essentia divina, sed hoc
est corpus meum, quorum verborum vi, quicquid divini pa-
ni Eucharistiæ inesse dicitur, mediante corpore Christi
infuit oportet. Sed quò dilabor? è diverticulo satis longo
nobis in viam tandem redeundum est.

LXXXVII. Ita ergò abunde, puto, constat, quòd, ex Pa-
 trum etiam mente, post consecrationem, Dominus non
 panem & vinum tantùm, sed suum quoque corpus & san-
 guinem discipulis dederit. Quo obtentò, fixum manet
 & immotum, quòd in superiori *Vorstii* syllogismo
 propositionem majorem, si ritè ea informetur, non uni-
 versaliter veram esse, vel certè id, quod in principio est,
 petere diximus. Et, quia propositione majore cadente,
 conclusionem etiam cadere necesse est, facile hinc in-
 telligitur, quid respondendum sit, cum illius syllo-
 gismi

gismi conclusionem *Vorstius* velut certam, & quæ jam solide probata sit, assumit, & ibidem ad inferendam hanc principalem conclusionem, quod panis sit corpus Christi, porrò ita argumentatur: *Quod Dominus discipulos suos accipere & comedere iussit, id fuit corpus ejus, Panis iste, quem Dominus in manus sumsit ac fregit, est illud, quod idem discipulos suos accipere & comedere iussit. Panis igitur quem Dominus in manus sumsit ac fregit, fuit corpus ejus.* Nempe propositio major, ita crudè accepta, vel particularis, vel falsa est. Quia enim evictum à nobis est, Dominum dedisse discipulis panem consecratum, qui jam post consecrationem non nudus panis, sed eucharistia erat, duabus constans rebus, terrenâ & cœlesti, & juxta *Vorstium*, Dominus, quicquid dedit, discipulos accipere & comedere iussit, non sanè omne, quod eos accipere & comedere iussit, corpus ejus esse potuit, sed necesse est, aliquid eorum fuisse etiam panem. Si verò propositio major eum in modum, quo in syllogismo priori, informetur, & ita habeat: *Quod Dominus, accipite, inquiens, comedite, hoc est corpus meum, voculâ τὸ hoc formaliter & in casu recto designavit, & verbis accipite, comedite, accipere & comedere iussit, illud est corpus Christi, tum vera erit, quæ tamen commodiùs pro singulari propositione, voculâ δευτερον hoc, ante relativum Quod, subintellectâ, quàm cum præfixo signo omne pro universali habebitur: cum in verbis, hoc est corpus meum, voculâ τὸ hoc Dominus nihil, præter suum corpus, quod individuum est, formaliter & in casu recto designaverit, & consequenter id solum, tanquam rem in casu recto designatam, verbis, accipite, comedite, accipere & comedere iusserit. Ita autem minor etiam propositio alia, & hæc quidem proveniet: Panis iste, quem Dominus in manus sumsit ac fregit, est illud, quod idem, accipite, inquiens,*

imprimis

inquit,

inquiens, comedite, hoc est corpus meum, voculâ τ 810
hoc formaliter & in casu recto designavit, & verbis, accipi-
te, comedite, accipere & comedere iussit. Quam falsam
esse, vel saltem id, quod in principio est, petere, ex his,
quæ superius docuimus, liquidò & ad oculum patet.

LXXXIX. Hæc hæctenus de primâ *Vorstii* causâ sive ra-
 tione, quâ in verbis Domini, *hoc est corpus meum, hoc est san-*
guis meus, propriâ significationem retineri non posse de-
 monstratum ivit. Quæ cum in hoc consistat, quòd verbis
 Christi, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus,* istæ æqui-
 polleant enunciationes: *hic panis est corpus meum, hoc vinum*
est sanguis meus; hoc autem syllogismo principali & supe-
 riori prosyllogismo nihil minùs, quàm hæc æquipollen-
 tia evinci potuerit, nemo non videt, ejus probationem
 totam esse frivolam & futilem, tantum abest, ut propriam
 verborum Domini significationem deserere cogat, &
 tropi admittendi necessitatem nobis imponat.

LXXXIX. Faciamus tamen enunciationem hanc, *pa-*
nis iste est corpus meum, posse ex verbis Domini, *accipite,*
comedite, hoc est corpus meum, rectè concludi, imò eam æ-
 quipollere illis, subjectum tamen ejus non foret panis
 nudus, sed panis iste, qui, ut iterum cum *Irenæo* loquar,
vocationem sive Verbum Dei percepit, & jam eucharistia est
duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constans. Nam Dominus,
CUM BENEDIXISSET, *fregit panem deditq; discipulis, di-*
cente Matthæo, & dedit proinde panem, ad quem acces-
serat verbum consecrationis. Hunc autem panem non
 posse propriè *Christi corpus* dici, à *Vorstio* nondum evictum
 est; sed quæ ab ipso hanc in rem allata sunt, loquuntur de
 nudo pane, & id saltem evincunt, panem, qui præter su-
 um esse nihil continet, non posse propriè *Christi corpus*
 esse aut dici. Quod uti verissimum est, & à nobis ultrò

L

conce-

conceditur, ita nec probandum *Vorstio* incumberebat. Hoc autem est, quod in lite & controversia versatur, annon de pane, qui jam, verbo consecrationis accidente, factus est Eucharistia, & duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constat, dici propriè possit, quòd sit *corpus Christi*?

XC. Quia igitur hanc controversam quaestionem allata à *Vorstio*, & à nobis hæctenus discussa ratio prima non attingit, ad alteram progrediemur, num id forsan, quod quaeritur, probet & evincat, visuri. Eam verò supra n. *LXI.* in hunc reduximus discursum: Vocula *δεῦρον τῆς* in verbis Domini aut designat *panem & vinum*, quæ sunt & dicantur *corpus & sanguis Christi* ob quandam, quæ inter ea intercedat, unionem, eum in modum, quo in Christo *hic homo* est & dicitur *Deus* propter unionem personalem, quæ inter humanam & Divinam naturam intercedit: aut designat *aliquid cum pane & vino*, nempe ipsum *corpus & sanguinem Christi*, ut quæ edere & bibere jubemur, sint & dicantur *corpus & sanguis Christi* eo sensu & modo, quo porrecto cantharo quis alteri dicit, *accipe, bibe, hoc est vinum*; & significat, *hoc quod cum vel in cantharo accipere & bibere jubet, esse vinum.* Hisce enim duobus modus declarari illorum sensus à Protestantibus solet. Tertius autem, quòd *panis & vinum in corpus & sanguinem Christi mutantur*, & vocula *τῆς* designet substantiam corporis & sanguinis Christi, sub accidentibus panis & vini contentam, quæ Pontificiorum opinio est, ab ipsismet Protestantibus rejicitur. Cùm verò neuter declarationis modus *Vorstio* admitti posse videatur: quod in *lib. 1. Dissert. Sacr. c. VI. II. & IX.* operosè demonstratum ivit; colligere hinc videtur, nihil superesse, quàm ut Reformationum admittatur interpretatio, quæ est, voculam *τῆς* designare *panem & vinum*, hæcque dici *corpus & sanguinem Christi* impropiè, quòd

quòd sint *signa illorum*, panis quidem corporis, & vinū sanguinis Christi. *Postquam intellectum est satis, quod tua verborum Domini interpretatio frivola ac nullius momenti sit; cumq̄ intellectum etiam hoc fuerit, quòd Hoc est corpus meum dictum sit pro hic panis est corpus meum, quodq̄ particula Hoc solum atque unicum panem designet: intelligetur porro & illud, quòd Hoc est corpus meum, dictum sic pro Hic panis est signum corporis mei, scribit in Epistolâ I. ad D. Titium pag. 151. Confer eundem lib. I. Diss. Sacr. c. X. sub initium.*

XCI. Argumentatio hæc, uti patet, procedit à negatione modi, quo res fit aut esse declaratur, ad negationem rei ipsius, sive ut clariùs dicam, ex eo quòd non distinctè ostendi possit, *quomodo corpus Domini sit, quòd Dominus, accipite, inquit, comedite, hoc est corpus meum, accipere & comedere jubet, & QUOMODO ejus sanguis sit, quòd bibite, inquit, hoc est sanguis meus, bibere jubet, concludit, ea non esse corpus & sanguinem Domini, sed tantùm signa illorum. Quæ concludendi ratio si locum in Theologia invenerit, via aperta fuerit cum ad alia quævis, tum imprimis ad SS. Trinitatis & incarnationis mysteria validè impugnanda, imò evertenda. Quemcunque enim excogita veris modum, quo v. g. Deum unum eumq̄ simplicissimum esse, & tamen tres in ipso realiter distinctas personas esse; vel quo duas in Christo naturas, personam verò unam esse declares, semper habebunt hæretici profligatissimi quiq̄, quæ objiciant, eaq̄ non leviora, quàm quæ hîc à Vorstio Protestantium objiciuntur declarationibus, quibus hoc quòd in prædictis verbis Domini edere & bibere jubemur, panem & vinum; & simul corpus & sanguinem Domini esse aut esse posse, ostendunt: ut si rectè Vorstii habeat collectio, etiam benè habituræ sint consequentiæ, quibus in Deo non tres realiter distinctas personas, sed ut*

L 2 essen-

essentiam, ita & personam unam Antitrinitarii omnes; & in Christo ut unam personam, ita & unam naturam esse, Sociniani concludunt. Est enim utrobique ratio concludendi eadem, à negatione modi, quo res esse, aut esse posse, ostenditur, desumpta. Et quemadmodum *Vorstius* ex impugnatibus Protestantium declarationibus porro suam infert interpretationem, quòd tantum panis & vinum sint, quæ in verbis Domini accipere, comedere & bibere jubemur, ea quæ corpus & sanguis Christi dicantur improprie, quòd sint signa corporis & sanguinis Christi: ita illi pari facilitate ex impugnatibus nostris declarationibus, quibus Deum in essentia unum & in personis trinum; & Christum unam personam, Deum tamen verum & verum hominem esse, aut esse posse, ostendimus, suas inferent interpretationes, & Scripturæ dictis, *Jo. 1. 1.* horum articulorum satis perspicue continentibus, eum quem sua cuique præcepta opinio dicitur, sensum imponit: *Arius* quidem, quòd Christus Deo Patri non *ὁμοούσιος*, sed tantum in natura ei similis sit, ante secula quidem factus, sed non natura & proprie, sed improprie & officio tantum Deus: *Socinus*, quòd nudus homo Christus sit, & priusquam ex Maria virgine nasceretur, non fuerit, Deus dictus improprie ob officium, quo in terris functus est: *Sabellius*, quòd Pater, filius & Spiritus sanctus non sit tres personæ, sed tantum tria nomina, uni Dei personæ ob diversa, quæ sustinuit, officia imposita. Quas Antitrinitariorum argumentationes & interpretationes si rejiciat *Vorstius*, sicut eas omnino rejicit: superioris etiam suæ argumentationis infirmitatem ut agnoscat, eamque missam faciat, omnino par & æquum fuerit. Scitè *Cyrillus Alexandrinus* in *Johannem lib. IV. c. XIII.* Innumerabilia, inquit, sunt, in quibus: si *QUOMODO?* quæris, universam evertere tibi Scripturam necesse

neceſſe erit, Prophetarum & ipſius Moſis ſcripta contemnerent: quare credidiſſe Chriſto potius oportuit, & ſi quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quàm veluti temulentos, exclamare: *QVOMODO* poteſt hic nobis ſuam carnem dare?

XCLII. Et ſanè cum ad quæſtionem: *QVOMODO* hoc, quod in ſacrâ Cœnâ accipimus & edimus, Chriſti corpus, & quod bibimus, ejus ſanguis ſit? his devolvitur, nos facile noſtram fatebimur ignorantiam, rati, nobis ſatis fore ſe obtenuiſſe, & quod Domini corpus & ſanguis ſint, Domino dicenti, *hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*, credidiſſe, modo, quo ſint, quod dicuntur, ejus, qui dixit, ſapientiæ relicto, qui ſicut verax & potens eſt, ut, quicquid vult, facere poſſit & faciat, ita pro ſuâ cum ſapentiâ, tum potentiâ infinitâ haud dubiè, quod verba habent, reapte præſtare poteſt & præſtat. Quam in rem benè ſcribit Cheminitius de Fund. SS. Cœnæ cap. IX. Omnes illi loci, (Scripturæ, in quibus dogma de Cœnâ Dominicâ diſertè & expreſſè traditum & repetitum eſt) mirabili conſenſu monſtrant, comprobant & confirmant propriam & nativam hanc ſententiam, quòd Cœna Dominica conſtet non tantum externis ſymbolis panis & vini; verum etiam ipſo corpore & ſanguine Domini, quodq; in actione hujus Cœnæ exhibeatur & ore veſcentium accipiatur, non tantum panis & vinum, ſed ſimul etiam verum & ſubſtantiale corpus & ſanguis Chriſti. *QVOMODO* verò *ID FIAT, AUT FIERI POSSIT, MEUM NON EST INQVIRERE*. Scio enim & credo, eum, qui hanc ſuam Cœnam inſtituit, eſſe veracem, ſapientem & potentem, imò ipſam veritatem, & ſapientiam & potentiam.

XCLIII. Eadem conſtans veterum ſententia fuit, qui verbis Domini: *hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*, innixi, ſe ſi firmiter tenuerunt, & non panem tantum & vinum, ſed etiam corpus & ſanguinem Domini eſſe,

quæ in sacrâ Cœnâ accipimus, edimus & bibimus, piâ simplicitate crediderunt. Quam suam fidem declaraturi variis usi sunt formulis loquendi, dixeruntque eam, super qua gratiæ actæ sunt, alimoniam esse incarnati illius Jesu carnem & sanguinem: eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini nostri hujus conditionis, quæ est secundum nos, panem esse corpus, & temperamentum calicis sanguinem Domini: eum panem qui est à terrâ, percipientem vocationem, jam non esse communem panem, sed eucharistiam, duabus rebus constantem, terronâ & cœlesti; per actâ consecratione panem fieri Christi corpus, & vinum ejus sanguinem: sacrificium Ecclesiæ constare duobus, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu carne & sanguine: quod est in calice, id esse, quod fluxit à Christi latere, & illius nos esse participes, &c. ut apud Justinum Martyrem Apol. II. Irenæum, lib. IV. adv. heres. c. XXXIV. & LVII. Cyrill. Hieros. Catech. Mystag. I. Augustinum in sententiis Prosp. & apud Grat. de Consecr. dist. II. cap. XLIX. Chrysostomum Homil. XXIV. in I. Corinth. & alios legere est. De modo, quo corpus & sanguinem Christi in S. Cœnâ accipiamus, edamus, & bibamus, aut quo, post consecrationem, corpus & sanguis Domini sint, quæ ante illam tantum panis & vinum fuerant, vel silent, vel divinæ eum sapientiæ & potentiæ committendum, non sollicitè scrutandum definiunt. Quomodo potest hic carnem suam nobis dare, de Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil esse impossibile apud Deum. Nam cum animales essent, (ut ait Paulus) spiritalia intelligere non poterant, sed fatuitas quaedam tam magnum sibi videtur mysterium, Sed nos magnum à peccatis illorum profectum faciamus: & firmam fidem mysteriis adhibentes, **NUNQUAM IN TAM SUBLIMIBUS REBUS ILLUD QUOMODO** aut cogitemus aut proferamus. Judaicum enim hoc verbum est, & extremi suppli-

supplicii causa. Idcirco Nicodemus etiam cum diceret, quomodo hæc fieri possunt? merito audivit: Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras. Aliorum igitur, ut diximus, culpâ perdocti, cum Deus operetur, **NON QUÆRAMUS QUOMODO**, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus, scribit Cyrillus Alexandrinus citato lib. IV. c. XIII in Johana. Hoc discipuli est, quæ magister asserit, non curiosius investigare, sed audire & credere. — Quando enim subit quaestio, **QUOMODO FLAT**, simul subit & incredulitas, ait Chrysostomus homil. XLV. in Johannem. Et rursus: Cedamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: superet & sensum & rationem nostram sermo ipsius: quod in omnibus & præcipuè in misteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent, solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilis est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus, Homil. LXXXIII. in Matthæum. Gemina inculcat idem in Homil. LX. ad populum Antiochenum. Ambrosius verò in libro de iis qui initiantur mysteriis c. IX & de Sacramentis libr. IV. c. IV. & V. quaestionem hanc: quomodo de pane fiat corpus Christi, & quomodo corpus Christi accipiamus? ex instituto sibi declarandum sumsit, altiùs tamen ascendere non potuit, quàm ut inductione exemplorum ostenderet, res alias æquè magnas & creditu difficiles, atque hæc est, solo ejus verbo effectas esse, & hinc credendum concluderet, verba Domini: accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus; ita esse efficacia, ut quod sonant, reapse efficiant & præstent, quamvis modum, quo id efficiant, intellectu non assequamur. Verba adduximus supra n. LXXIV. seq. ubi videantur.

XCIV.

XCIV. Prædicationes personales verò, & alteras, ex vulgo petitas, propositiones exhibitivas nostri saltem illustrationis causâ huc transferunt, non ut modum, quæ corpus & sanguis Christi sint, quæ in sacrâ Cœnâ accipimus, edimus & bibimus, illis exquisitè doceant & demonstrent; sed ut prædicationes, quibus vel *panis Eucharistia*, vel hoc (quod in Eucharistiâ accipere & comedere jubemur) *corpus Christi* dicitur, exemplis quadantenus similibus non destitui, easque nullam repugnantiam involvere ostendant: de quibus proinde valet illud tritum: *Omno simile claudicat*. Nihil enim tam est alteri simile, quin aliqua in consideratione etiam ei dissimile esse deprehendatur. Unde si præsentî instituto illa non usquequaque congruere *Vorstio* videntur, abstineat ab illis, per nos licebit, modò verbis Domini, dicentis, *accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus*, fidem nobiscum adhibeat, & quæ illorum vi accipimus, edimus & bibimus, non panem & vinum tantum, sed ipsummet etiam *corpus & sanguinem* illius esse, piâ simplicitate credat. Non esse eandem unionem, quæ inter *panem & corpus Christi, vinum & sanguinem Christi* intercedit, cum unione duarum naturarum in Christo, neque etiam verba Domini, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, cum vulgaribus propositionibus exhibitivis per omnia convenire, haud iaviti agnoscimus, & propterea similitudinem saltem intercedere utrinque dicimus, quam, more aliorum similibus, in aliquibus claudicare, h. e. deficere largimur.

XCV. Non tamen Protestantes primi sunt, qui unionem panis eucharistici & corporis Christi, nec non, quæ hinc resultare creduntur, prædicationes Sacramentales cum unione duarum naturarum in Christo & hinc resul-

resul-

resultantibus prædicationibus personalibus contulerunt, hisque illas illustrarunt, sed ante illos idem fecerunt Ecclesiæ veteris Scriptores celeberrimi, qui ut prædictas propositiones sacramentales, *panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi*, in usu frequenti positas habuerunt, ita duarum in Christo naturarum unionem & prædicationes personales ad easdem illustrandas primi accommodarunt. Quam in rem ut loca & verba Patrum, operose conquisita, adscribamus, supervacaneum ducimus. *Vorstius* enim *lib. II. Dissert. Sacr. c. II.* in hoc ultrò nobis suum adjicit calculum, producitque ipse quædam, huc facientia, Patrum loca & verba, uti videantur, Nos etiam supra *n. LXXXIII.* citavimus nonnulla *Augustini* verba, quæ omninò huc pertinent, & ita habent: *Sacrificium Ecclesiæ constare duobus, visibile elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu carne & sanguine, SICUT CHRISTI PERSONA CONSTAT ET CONFICITUR DEO ET HUMINE, cum ipse CHRISTUS SIT DEUS ET HOMO.*

XCVI. Ea potius, quæ contra hanc, veteribus & recentioribus Scriptoribus receptam, collationem inter prædictas sacramentales & personales prædicationes *Vorstius* objicit & excipit, videamus & consideremus. Oportet autem, panem eucharisticum non posse corpus Christi dici, eo quidem sensu & genere prædicationis, quo *Deus homo, & homo Deus* dicitur, præmittit in *lib. I. Dissert. Sacr. c. IX. p. 182.* quòd in his prædicationibus, *hic panis est corpus Christi, hoc vinum est sanguis Christi*, verborum genuina vis & significatio *Gerhardo* hæc visa fuerit, quòd panis corpus Christi, & vino sanguis Christi adjunctus atque unitus sit, idque dicit ex eo apparere, quòd in *Loco de S. Cænâ. §. XCIV.* scripserit, *unionem sacramentalem esse causam & fontem prædicationum, panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi.*

M

Christi

Christi; item rem caelestem prædicari de elemento terreno præ-
 pter unionem sacramentalem. Quam sententiam, dicit, se
 planè falsam & absurdam judicare, quòd ad exprimen-
 dum istiusmodi sensum ipsa illa verba, *hic panis est corpus*
Christi, non sint apta. Ad quòd ostendendum, provo-
 cat ad ipsam linguarum naturam, quæ non ferat, ut, si res
 aliqua juncta atque unita sit alteri rei, illud sic exprimatur, ut
 dicatur, unam rem esse alteram.

XCVII. Sed non falsa aut absurda est sententia Gerhardi,
 quam quidem ejus verba, à Vorstio citata, continent, sed
 Vorstii consequentia, quæ ex Gerhardi verbis, optimè ha-
 bentibus, illam falsò ei adscriptam sententiã pessimè col-
 ligit, malè habet & absurda est. Quod enim in loco citato
 dixit Gerhardus, hoc est: Quando ex usu loquendi, Patri-
 bus recepto, dicitur, panem Eucharisticum esse corpus
 Christi, tum prædicationis fundamentum esse unionem sacra-
 mentalem, quæ inter panem & corpus Christi intercedit. Ex
 quo malè colligitur, ipsam verborum, *hic panis est corpus*
Christi, hoc vinum est sanguis Christi, genuinam vim & si-
 gnificationem esse hanc, quòd panis corpus Christi, & vino
 sanguis Christi adjunctus atque unitus sit. Aliud enim est ver-
 borum genuina vis & significatio in propositione, aliud
 prædicationis fundamentum. Illa simpliciter aestiman-
 da est ex usu loquendi, & in qualibet propositione impor-
 tat identitatem quandam prædicati cum subjecto, vel po-
 tius rei, quam prædicatum ex usu loquendi significat,
 cum re, per subjectum significatã. Hoc ex rebus ipsis,
 per prædicatum & subjectum significatis, illarumque
 materiali habitudine ad se invicem dignoscendum venit:
 v. g. cum dicitur, *hic homo est Deus*, prædicationis funda-
 mentum, fatente Vorstio, est unio personalis, quæ inter
 humanam & divinam Christi naturam intercedit. Sed
 horum

horum verborum genuinam vim & significationem esse hanc, quòd *hic homo & Deus* vel divina & humana natura personaliter inter se unita sint, quis dixerit? Neque enim verba, singulatim, aut junctim sumta, ex sua genuina vi, personalem naturarum unionem in Christo significant, sed sigillatim spectentur, vocula *deus* hic determinat significationem vocis *homo* ad significandum certum hominis individuum, vox *Deus* autem Deum significat, & verbum *est* fungitur officio copulae; junctim autem sumta significant, Deum esse idem cum hoc homine. Quòd autem in hoc homine duae naturae, divina & humana personaliter unitae sint, & ista per copulam significata identitas Dei cum hoc homine in unione personali fundetur, id minimè significant verba, sed aliunde ex Scripturis addiscendum est.

XCIX. Sed propius ad rem accedemus. Quae Vorstius obitare opinatur, quò minus propositiones istae, *hic panis est corpus Christi, hoc vinum est sanguis Christi, conferri rectè possint cum his personalibus, hic homo est Deus, Deus est homo*, ad duo redeunt. Unum est: In praedicationibus personalibus non naturam disparatam abstractam praedicari de natura disparatâ itidem abstractâ, sed concretam de concretâ. Non licere dicere, *Natura Christi divina est natura humana, vel contrà natura Christi humana est natura ejusdem divina*; sed licere tantum dicere, *Deus & filius Dei est homo, & rursus: hic homo est Deus & filius Dei*. Alterum: enunciationibus hisce, *Filius Dei est homo, & hic homo est filius Dei*, non denotari qualemcumque unionem, & quae rursus dissolvi possit, sed denotari illis unionem personalem, id est, talem, per quam unum suppositum & persona existat, quae nullo unquam tempore rursus dissolvatur.

XCIX. Sed hæc nobis minimè tanti videntur æstimanda, quanti à Vorstio æstimantur. Quod enim ad priorem attinet objectionem, in sacramentalibus etiam propositionibus prædicatur suo modo concretum de concreto, non natura disparata abstracta de natura disparatâ, itidem abstractâ; & sicut dicere non licet, *natura Christi humana est natura ejusdem divina*, ita nec dicere licet, *natura hujus panis est natura corporis Christi*, sed tantum dicere licet, *hic panis est corpus Christi*. Præterea cum panis dicitur corpus Christi, non intelligitur panis communis, sed panis, in quo actæ sunt gratiæ, & qui jam post consecrationem Eucharistia est, rebus duabus, terrenâ & cælesti, constans, ut supra Patres antiquissimos docentes audivimus. Panis autem, sic sumtus, in ordine ad corpus Christi, non est natura disparata abstracta à corpore Christi, sed concretum quid ex pane & re cælesti, h. e. ex pane & corpore Christi. Quod ipsum monuit B. Gerhardus in Loco de sacrâ Cænâ §. 137. cum dixit, *de pane non simpliciter & absolute, sed in usu sacramentali prædicari, quòd sit corpus Christi*, unde subiecto solere addi, *panis Eucharisticus, panis benedictus, panis quem frangimus*. Quibus etiam hæc, quæ sequuntur, subjecit: *Quemadmodum igitur in abstracto divina natura non prædicatur de humanâ & contrâ, sed tantum in concreto; ita quoque de pane Eucharistico non simpliciter & absolute prædicatur, quòd sit corpus Christi, sed in unione & usu sacramentali.*

C. Vorstius autem d. l. p. 201. hanc à Gerharδο institutam comparationem ridet & exagitat: *Egregiam verò, inquiens, comparationem, quam Gerhardus fecit. Enunciationem hanc, Panis communis est corpus Christi, comparat ille cum enunciatione, Natura divina est natura humana, & quomodo non sit ista, ita nec illam veram esse. At enunciationem, Panis Eucharistiæ est corpus Christi, comparat cum e-*

nunciâ-

XCIX

14

nunciatione, Deus est homo. Ergone panis communis & panis eucharistiæ ita discrepant, ut discrepant natura divina & Deus; & quemadmodum natura divina est abstractum, Deus vero concretum: ita panis communis abstractum, panis Eucharistiæ autem concretum est & personam designat? Inter naturam divinam & Deum ea differentia est, quod unum vocabulum non connotat personam, alterum verò omninò connotat. At inter panem communem ea differentia non est. Panis eucharistiæ & panis sanctificatus non magis personam & suppositum connotat, quàm panis communis.

Cl. Sed hæc frivola cavillatio est. Gerhardus enim neq; has enunciationes: panis communis est corpus Christi, & natura divina est natura humana, neq; illas, Panis Eucharistiæ est corpus Christi, & Deus est homo, comparat inter se absolute & simpliciter, sed illas in eo saltem inter se confert, quòd, sicut utraque constat terminis disparatis, absq; connotatâ in subiecto ullâ illorum unione, ita utraq; falsa sit; has verò in hoc, quòd in utraq; subiectum, præter suum significatum principale, aliud quid, & quidem illud ipsum, quod per prædicatum significatur, connotet, in altera quidem hypostasin, & quæ in illam assumpta est, humanitatem Christi, atque adeò hominem ipsum; in altera verò corpus Christi, pani sacramentaliter unitum. Sicut enim Deus hîc sumitur pro λόγῳ ἐνσάρκῳ, qui Deus & homo est, ita qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non est communis panis, sed eucharistia, duabus rebus, terrenâ & cœlesti constans, inquit Irenæus loco sæpè inculcato. Si autem panis eucharisticus eucharistia est, & rebus duabus, terrenâ & cœlesti, constat, nec, esse utique est, ut sit concretum quid ex re terrenâ & cœlesti, hoc est, ex pane & corpore Christi, & suo modo à pane communi differat, ut concretum ab abstracto. Panis communis enim tantum denotat panem,

panem, & tam est abstractum quid à corpore Christi, quàm natura divina est abstractum quid ab hypostasi λόγος, & humanitate, in ea subsistente. *Panis* autem, in quo actæ sunt gratiæ, sive *panis consecratus*, præterquam quòd panis est, connotat etiam rem cœlestem, h. e. corpus Christi, pani sacramentaliter unitum, & quandam analogiam habet cum voce *Deus*, quæ hypostasin, & consequenter humanitatem, in ea subsistentem, connotat.

CII. Hinc in fumum abit superior cavillatio *Vorstii*: *Ergone*, inquentis, *panis communis* & *panis Eucharistiæ* ita discrepant, ut discrepant natura divina & *Deus*; & quemadmodum natura divina est abstractum, *Deus* verò concretum; ita *panis communis* abstractum, *panis eucharistiæ* autem concretum est, & PERSONAM designat? Quid enim differant *panis communis* & *panis Eucharistiæ*, & quomodo in prædictis propositionibus ille ad naturam divinam; hic ad *Deum* sese habeat, modò diximus: nempe sicut in illa propositione, *natura divina est*, *natura humana*, *natura divina* sum designat esse, absque connotatâ sui unionem cum naturâ humanâ; ita in hâc, *panis communis est corpus Christi*, *panis communis* designat ipsum esse panis, absque ullâ connotatâ sui unionem cum corpore Christi, ut non minus repugnet, corpus Christi cum pane communi per copulam *est* componi, quam naturam humanam cum naturâ divinâ per eandem componi repugnat. Et sicut in ista, *Deus est homo*, *Deus* per modum suppositi, atq; adeò naturam divinam cum connotatâ ὑποστάσει, naturam humanam assumptam terminante, significat, hocq; intuitu concretum est, personam denotans, ex utraq; naturâ constantem, quamvis à solâ naturâ divinâ denominatam, ita in hâc, *panis eucharistiæ*, vel *panis*, in quo actæ sunt gratiæ, est corpus Christi, *panis eucharistiæ*, vel *panis* in quo actæ sunt

sunt

lunt gratiæ, significat panem cum connotato verbo con-
secrationis, quo accedente panis factus est *eucharistia*, re-
bus duabus, terrenâ & cœlesti, constans, atque adeo
connotat etiam rem cœlestem, ipsum scilicet corpus
Christi: hoc intuitu *panis Eucharistiæ* dici potest *concre-
tum*, cum sit *concretum quid ex re terrenâ & cœlesti*, hoc est,
ex *pane & corpore Christi*. Ut autem *panis Eucharistiæ* tale,
sit concretum, quale *Deus* est, hoc est, quod perinde, ut
Deus, *personam* connotet, aut *personam*, ex duabus na-
turis constanrem, designet, necessarium non est: cum
prædicatio, quâ *corpus Christi* de eo dicitur, non *personalis*,
sed *sacramentalis* sit: ad quam sufficit, si prædicatum
in subjecto ita connotetur, ut cum eo *unum sacramentale*
constituat: sicut ad *personalem prædicationem*, sufficit, si
prædicatum in subjecto ita connotetur, ut cum illo *unum
personale* constituat.

III. Atque hæc retundendæ *Vorstii* objectioni priori,
quâ traditam à *Gerhardo* & aliis prædicationum Sacra-
mentalium declarationem impugnatum ivit, sufficient. Eam esse prorsus frivolum & futilem, ex dictis abunde
constare existimo. Non verò melius habet ejusdem obje-
ctio altera. Quod enim in eâ dicitur, enunciationibus his-
ce: *Filius Dei est homo, & hic homo est Filius Dei*, denotari unio-
nem personalem, id est, talem unionem, per quam unum suppo-
situm & una persona existat, quæque nullo unquam tempore dissol-
vatur, falsissimum est. Istæ enim enunciationes, vi verbo-
rum, nihil denotant aliud, quàm hoc, hunc hominem esse
idem cum filio Dei, & filium Dei esse idem cum hoc ho-
mine. Quod autem hæc identitas fundetur in *unione persona-
li i. e. tali*, per quam unum suppositum & una persona existat, quæ-
que nullo unquam tempore rursus dissolvatur, non ipsæ signi-
ficant enunciationes, sed hoc totum materiale est, quod,
nisi jam

nisi jam ante constiterit, illis auditis, nemo concipiet, & proinde aliunde ex Scripturis, non ex ipsis enunciatio- num verbis, discendum est. Imò si semel vera est pro- positio hæc: *Filius Dei est homo*, ob unionem personalem, quæ inter divinam & humanam naturam intercedit, ve- ra eadem futura fuisset, si vel maximè ad tempus saltem Filius Dei humanam naturam assumpsisset, & postea eam deposuisset: pro illo, inquam, tempore, quo durasset u- nio, dici etiam potuisset, *Filius Dei est homo*, ut planè non sit de ratione formali enunciationum, in quibus dispara- tum de disparato prædicatur, ut vel unionem personalem, quæ inter extrema intercedit, vel extremorum unionem, indissolubilem dicant.

CIV. *Vorstius* adhuc instat & urget d. l. p. 204. Quoniam nul- lã unionem observare licet, propter quam una res (disparata) di- catur altera, præter unionem personalem, colligimus hinc, unionem personalem solam istud facere, ut una substan- tia de alterã prædicari possit. Ubi tamen notandum adhuc il- lud est, quòd prædicatio non per vocabula naturæ possit fieri, sed per vocabula suppositi & personæ: quodq; non possit dici, Natura divina Filii Dei est natura ejus humana; sed tantum sic, Fi- lius Dei est homo. Alii si putare porro velint, panem ideò dici corpus esse, quòd pani corpus Christi sit unitum: necesse ha- bent exemplis demonstrare, quòd non unio personalis tantum, sed & alterius generis uniones efficiant, ut una substantia dispa- rata de altera itidem disparata prædicetur; quodq; nec sit neces- se, prædicationem vocabulis concretis & designantibus perso- nam fieri; sed possit etiam fieri vocabulis abstractis & personam non designantibus.

CV. Sed hæc *Vorstii* collectio pessimè habet, quã ad- mitsã, nec unio personalis in Christo, & quæ hinc prove- niunt, prædicationes personales adversus Socinianos, ne- que tres

que tres realiter distinctæ personæ in unâ Dei essentiâ ad-
 versus hos & cæteros *Antitrinitarios* defendi deinceps pot-
 erunt. Quâ ratione enim *Vorstius* colligit, solam unio-
 nem personalem facere istud, ut una substantia disparata de al-
 terâ itidem disparatâ prædicari possit, eâdem *Socinus*, qui i-
 plam quoque unionem personalem in Christo negat, con-
 cludet, nullam planè unionem facere istud, ut duæ substantiæ dis-
 paratæ, eaq; completæ & perfectæ, in unam coeant personam, & in
 casu recto altera de altera prædicetur: & eâdem concludent
 etiam *Antitrinitarii* omnes, non tres esse in unâ Dei essentiâ
 personas, sed unam. *Vorstii* ratio concludendi, ab inductione
 petita, est hæc: quia nullam unionem observare licet, propter
 quam una res dicatur altera, præter unionem personalem. Ean-
 dem imitatus *Socinus* ad suam inferendam conclusionem
 urgebit, quòd planè nullam unionem observare liceat, per quam
 duæ substantiæ disparatæ, eaq; completæ & perfectæ, in unam
 coeant personam, & una de alterâ in casu recto prædicari possit:
 & similiter *Antitrinitarii* ad evertendum mysterium Tri-
 nitatis urgebunt omnes, quòd nullam prorsus rem observare
 liceat, cujus una essentia, tres autem realiter distinctæ substan-
 tiæ vel personæ sint. Si ergò ex illâ *Vorstii* rectè sequitur, unio-
 nem personalem solam facere istud, ut una substantia (disparata)
 de alterâ prædicari possit; etiam ex istâ *Socini* rectè sequetur,
 nullam planè dari unionem personalem in Christo, prædicatio-
 nem nullam, quâ Deus homo & homo Deus abq; tropo di-
 catur; & ex hac *Antitrinitariorum* rectè sequetur, in unâ Dei
 essentiâ non tres esse personas, sed unam. Est enim omnium par
 concludendi ratio, in eo, quòd per inductionem nulla alia
 illius, quod dicitur, exempla observare liceat, posita.
 Unde *Vorstio* illud ipsum omni jure objicient, quod ipse i-
 bidè objecit nobis: *Alii*, inquiens, si putare porrò velint, panem
 ideò dici corpus esse, quòd pani corpus Christi sit unitum: neces-
 se ha-

N

se ha-

se habent exemplis demonstrare, quòd non unio personalis tantum, sed & alterius generis uniones efficiant, ut una substantia disparata de alterâ itidem disparata prædicetur. Si verò nihil horum docere poterunt, incipiant aliquando seriò dubitare, an verborum, panis est corpus Christi, possit hic sensus esse, quòd pani corpus Christi adjunctum atque unitum sit. Dicent ergo Sociniani: Vorstius si putare porrò velit, DEUM ideò dici HOMINEM, quòd natura humana cum naturâ divinâ personaliter unita sit, necesse habebit **EXEMPLIS DEMONSTRARE**, quòd duæ naturæ completæ & perfectæ in unam personam uniri possint & uniantur, atque alterâ de alterâ in casu recto prædicetur. Si verò nihil horum docere Vorstius poterit, incipiat aliquando seriò dubitare, an verborum, v. g. Filius Mariæ est filius Dei altissimi; possit hic sensus esse, quòd natura divina Filii Dei cum naturâ humanâ filii Mariæ personaliter unita sit. Similiter dicent alii Antitrinitarii: Vorstius si putare porrò velit, Deum ideò dici Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quòd Pater, Filius & Spiritus sanctus sint tres realiter distinctæ personæ in una Dei essentia, necesse habebit **EXEMPLIS DEMONSTRARE**, quòd unius essentiæ plures personæ vel substantiæ sint aut esse possint. Si verò nihil horum docere Vorstius poterit, incipiat aliquando seriò dubitare, an verborum istorum possit hic sensus esse, quòd in una Dei essentiâ tres sint personæ, realiter distinctæ. Vorstio certè multò fuerit difficilius, exemplis demonstrare, quòd vel duæ naturæ completæ & perfectæ, ut in Christo fit, unione ullâ in unam coire personam; vel unius numero essentiæ tres propriè dictæ atq; inter se realiter distinctæ personæ esse possint, quàm Gerhardo id demonstrare exemplis, quòd non personalis tantum unio, sed & alterius generis uniones efficiant, ut una substantia disparata de alterâ, itidem disparatâ, prædicetur. Gerhardus enim ad hoc ostendendum nonnulla ex Scripturis de-

prom-

prompta exempla produxit, quamvis à *Vorstio* in dubium vocata: quæ, chartâ jam tum opinione longius excrecente, expendere & à *Vorstii* impugnationibus vindicare nunc non licet. Illorum verò nullû neq; in naturâ, neq; in Scripturâ, datur exemplum, Nullo, inquam, neq; ex naturâ, neque ex Scripturâ defumto exemplo demonstrari potest, quòd vel duæ completæ & perfectæ naturæ in unâ personâ, vel tres personæ in unâ numero essentiâ dentur, aut dari possint, præter exempla Christi, & Dei unius atque Trini, quæ nos inter & *Socinianos* atque *Antitrinitarios* reliquos in controversiam veniunt, & ab illis tam præfractè negantur, quàm cordatè & constanter à nobis asseruntur. Unde quicquid *Socinianis* & *Antitrinitariis* aliis *Vorstius* responderit, ipsi etiam ad hæc, quæ nobis objecit, responsum esto.

CVI. Sciat ergo *Vorstius*, non exemplis, sed revelatione divinâ standum esse in his, quæ supra naturam sunt, & ad fidem spectant. Hoc ipso enim, quòd naturæ ordinem excedunt, exempla similia in naturâ nulla habent. Neque in Scripturis semper alia similia illorum exempla observare licet, sed quandoque contingit, ut unicum sit, quod in iis revelatum & propterea credendum est: ut exemplo incarnationis & SS. Trinitatis constat, quæ si non citius, quàm exemplis aliis demonstrantur, credi debuissent, à nemine credi unquam potuissent. Quamquam verò propositio hæc: *panis Eucharistiæ est corpus Christi*, totidem verbis in Scripturâ non continetur, *Vorstius* tamen habet sibi persuasum, eam æquipollere verbis Domini: *hoc est corpus meum*; adeò ut pro enunciatione ipsius Scripturæ illam habendam esse contendat. Neq; negare potest, eandem non concernere rem naturalem, aut quæ nostræ naturali cognitioni subsit, sed supernaturalem, &

quæ ad fidem spectat. Concernit enim testamentum Domini, quo pro suâ immensâ sapientiâ & φιλαυθροπία ineffabili ipsummet corpus suum, quod pro nobis in mortem traditum est, & sanguinem suum, pro nobis effusum in remissionem peccatorum, nobis nostræ solutis causâ legavit, & illud edendum, hunc bibendum instituit. Unde non apparet, cur in hâc potius enunciatione, *hic panis est corpus Christi*, ob defectum aliorum exemplorum nos propriam deseramus significationem, aliumque sensum verbis, quam ex suâ nativâ vi & indole important, tribuamus, quam cur in Trinitatis & incarnationis mysteriis hostes fidei catholicæ, ob defectum aliorum exemplorum, à verborum significatione propriâ recedant, & v. gr. filium Mariæ Deum dicant improprie, quod Dei vices in terris gesserit, aut Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum alii tria dicant nomina esse, quæ uni personæ divinæ ob diversa officia in Scripturis imposita sunt, alii verò alias interpretationes comminiscantur.

CVII. At hîc *Vorstius* dubio procul nobis etiam objiciet, quæ d. l. p. 203. objicit *Gerhardo*: *De unione*, inquit, personali, quodq; hæc causa sit ejus, quod de Deo homo, & de homine Deus prædicatur, res manifesta & apud omnes in confesso est. An verò unio sacramentalis, quam vocant, sit causa, quod de pane corpus Christi prædicatur, de eo adhuc controversatur, nec perinde liquida res est. Neque verò illud, quod non de quocunque pane, sed de pane eucharistiæ dicitur, quod sit corpus Christi, argumentum ejus rei vel levissimum esse potest. Ipsam illam enunciationem, Panis eucharistiæ est corpus Christi, dicimus nos, non aptam esse ad significandum, quod eâ enunciatione significari putant, panem Eucharistiæ corpus Christi adjunctum atque unitum esse. Cujus rei causa hæc est, quod nulla prorsus exempla observantur, quod, si res rei adjuncta atq; unita sit, dicatur ideò, unam rem esse alteram. CIIIX.

CIIIX. Sed hæc etiam objectio levis est, & parum ha-
 bet in recessu. Primum enim de *unione personali*, quodq;
hæc causa sit ejus, quod de Deo homo, & de homine Deus prædi-
catur, rem manifestam & APUD OMNES in confesso esse, ne-
gabunt Sociniani. Non enim apud ipsos res hæc mani-
 festa & in confesso est, quamvis apud Catholicos manife-
 sta & in confesso sit, Perinde autem de *unione Sacramentâ-*
li, & quòd hæc sit causa, quòd de pane corpus Christi prædica-
tur, res manifesta & in confesso est in omnibus Augusta-
nam Confessionem invariata[m] amplexis Ecclesiis, &
nisi fallor, apud Vorstium etiam, priusquam à nobis discede-
ret, manifesta & in confesso fuit, quamvis Reformati,
& nunc Vorstius, eam in controversiam vocent, & liqui-
dam esse negent. Deinde *quòd unio sacramentalis causa sit,*
quòd de pane corpus Christi prædicatur, ejus rei non levisimum
sed validum argumentum esse hoc, quòd non de quocunq; pa-
ne, sed de pane Eucharistiæ dicitur, quòd sit corpus Christi, jam à
nobis evictum est. Tertiò si *ipsa illa enunciatio, Panis eu-*
charistiæ est corpus Christi, non apta est ad significandum,
quod eâ enunciatione, juxta Vorstium, nos significari putamus,
nempe panis eucharistiæ corpus Christi adjunctum atque uni-
tum esse; idque eam ob causam, quòd nulla prorsus exempla
observentur, quòd, si res rei adjuncta atque unita sit, dicatur i-
deò, unam rem esse alteram; hæc etiam enunciatio; Deus est
homo, non apta erit ad significandum, quod eâ Vorstius si-
gnificari putat, nempe unionem personalem, id est, talem, per
quam unum suppositum & una persona existat, quæ nullo un-
quam tempore dissolvatur; idque ob eandem causam, quòd
nulla prorsus observentur exempla, quod inter duo disparata,
qualia Deus & homo sunt, talis detur unio, per quam unum
suppositum & una persona existat, quæ nullo unquam tempore
dissolvatur. Breviter: In quamcunque partem Vorstius lese

vertat, nontamen inveniet, quod in articulo de incarnatione Socinianis, & in articulo de SS. Trinitate Antitrinitariis quibusvis solidè opponat, ita quidem ut hæc etiam facta tecta maneant quæ contra receptam hæctenus enunciationum sacramentalium declarationem, illarumque comparationem cum enunciationibus personalibus ultro citroque disputavit. Quem in sensum scitè Lutherus in libro contra cælestes Prophetas Tom. III. Jenens. fol. m. 79. b. Und du solt sehen / weil sie auf der Bahn gehen / daß sie GOTTES Wort wollen nicht mit dem Glauben ehren / oder nach einfältiger Weise der Sprachen annehmen / sondern mit der Sophistischen Vernunft und spitziger Subtilitäten messen und meistern / werden sie gar fein dahin kommen / daß sie auch läugnen werden / Christus sey nicht GOTT. Denn bey der Vernunft laut es ja so töricht / Mensch ist GOTT / als Brodt ist Leib. Und weil sie eins läugnen / werden sie gar bald und frisch das ander auch läugnen. Das suchet auch der Teuffel / der sie aus der Schrift in ihre Vernunft gefüret hat / daß er alte Kezereyen wieder herein bringe. Denn du solt wunder sehen / wie klug die Vernunft seyn wird / sonderlich im tollen Pöfel / und den Kopf schütteln / und sagen / Ja Gottheit und Menschheit sind zweyerley Dinge / unmeßlich von einander gescheiden / als ein ewiges von einem zeitlichen / wie kan denn eines das ander seyn / oder iemand sagen / Mensch ist GOTT? So mustestu auch sagen / zeitlich ist ewig / sterblich ist unsterblich / und dergleichen / wie sie hie in D. Carlstad Kopf wieder das Sacrament auch alfenzt: Da wird sie es denn fein treffen haben. Et tantum de propositionibus sacramentalibus, panis Eucharistiæ est corpus Christi, vinum Eucharistiæ est sanguis Christi. Quarum declarationi, ad similitudinem enunciationum personalium, Deus aut Filius Dei est homo, & hic homo est Deus aut Filius Dei, institui solitæ, nihil obesse, quæ à Vorstio objecta sunt, ex dictis constare putamus. CIX.

CIX. Ad ipsa Domini verba, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, procedamus, & cujusmodi sint, quæ usitatae illorum interpretationi obstare, aut quò minus cum aliis exhibitivis enunciationibus conferre ea liceat, impedire Vorstius opinatur, dispiciamus.

CX. Initio autem Vorstius ostendere conatur, Lutherum & qui eum sequuntur, Lutheranos Theologos ne de vulgaribus quidem exhibitivis enunciationibus rectè sentire, nedum de verbis Domini, quæ cum illis comparant. Illorum enim sententiam esse, quòd, cum v. gr. ostenso dolio dicitur, *hoc est vinum*, & ostensâ crumenâ, *hoc est aurum*, vocula *δεικτικὴ* hoc totum denotet complexum ex dolio & vino, crumenâ & auro: & similiter quòd in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, vocula *hoc* designet totum complexum, ex pane & corpore Christi. Quam in rem lib. I. Dissert. Sacr. cap. VI. & IX. plura illorum loca & verba produxit & impugnavit, ratus, usum loquendi non ferre, ut in id generis enunciationibus vocula *Hoc* utrumque unum designet. Quamvis enim, qui v. gr. ostenso dolio dicit, *hoc est vinum*, aut ostensâ crumenâ, *hoc est aurum*, digitum ad utrumque, dolium & vinum, crumenam & aurum, intendat; non tamen ipsâ enunciatione exhibitivâ ideum agere, ut ipsum dolium etiam atque crumenam se monstrare significet: cum nec dolium vinum, nec crumena aurum sit. Sanè, inquit pag. 121. & seq. qui *vinum*, vase comprehensum, digito monstrat, dicitq; *hoc est vinum*, ejus digitus non ad vinum tantum, sed ad ipsum quoq; vas dirigitur. Vocula *Hoc* in verbis istis est merè *δεικτικὴ*, & sensus verborum non est alius, quàm si dicas, id, quod digito monstro, est vinum. Jam qui verbis istis, *hoc est vinum*, utitur, ejus quidem digitus non ad vinum tantum, sed ad ipsum quoque vas dirigitur; sed istis tamen verbis minimè ille id agit, ut ipsum

1163

ut ipsum vas quoque monstrare se significet. Si mens' ejus hæc esset, quod ipsum quoque vas demonstrare vellet, foret id, quod dicit, planissimè falsum. Neque enim vas est vinum; sed illud, quod est in vase, vinum est vel esse potest. Qui id agit, ut ipsum vas demonstrare se significet, eum oportebit dicere, non: hoc est vinum, vel hæc res est vinum; sed verò: hæc res est vas sive dolium. Qui autem dicit, hoc est vinum, is, licet ipsum quoque vas, in quo est vinum, demonstret; non tamen id agit, ut illis verbis significet, ipsum quoque vas demonstrare se; sed vasis quidem rationem planè nullam habet; ac si vinum nullo vase ambiretur, ipsumq; monstrari per se posset. Hæc Vorstius: quæ ibidem & pag. 123. ut & cap. II. pag. 165. seq. repetit, & pag. 124. in hæc tandem desinit verba: *Ostensum est hætenus, B. Lutherum quoque, quiq; hunc sequuntur, verba Domini, hoc est corpus meum, cum iisdem locutionibus vulgaribus comparare, cum quibus Franciscus Costerus aliq; qui Concilium Tridentinum sequuntur, eadem illa verba Domini comparant. Ostensum item, B. Lutherum, quiq; hunc sequuntur, NE DE IPSIS QUIDEM LOCUTIONIBUS VULGARIBUS, hoc est vinum Rhenanum, hoc est aqua, RECTE SENTIRE.*

CXI. Verùm Vorstius B. Lutheri mentem non per omnia assecutus est: cujus proinde discursus totus fallacia ignorantie elenchi laborat. Quamobrem de mente Lutheri & illorum, qui eum sequuntur, omnium primò agendum venit. Eam esse hanc, quòd vocula *deixlexen* hoc cum in vulgaribus enunciationibus exhibitivis, tum in ipsis verbis Domini designet complexum quid ex duobus unitis, ultrò admittimus, idq; evincunt adducta à Vorstio illorum verba, ubi videantur. Atq; ita illi senserunt & docuerunt, ut transubstantiationis commentum, quo panis substantia in substantiam corporis Christi transmutari,

tari,

tari, & in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, *voculâ* τὸ
hoc solum corpus Christi, sub accidentibus panis exi-
 stens designari dicitur, fortius excluderent: ut inter alia
 ex ipsis Lutheri verbis patet, quæ in *Confessione Majori de*
predicatione identica, Tom. III. Jen. fol. m. 485. leguntur, &
 ita habent: *Diß Stück bewegt billich alle redliche Bernunfft /*
welches der Bigleph in seinen Büchern / als das
fürnembst treibt / auch die Hohenschulen sich damit so
lang geblemet haben in aller Welt / biß sie dahin sich selbst
gedrungen haben / daß sie leren / In Sacrament bleibe
kein Brod wesentlich / sondern allein die Gestalt / denn es
leidet sich weder in der Schrift noch Bernunfft solch præ-
dicatio identica de diversis naturis, das ist / daß zweyerley
unterschiedliche Natur solten ein Ding sein. — Sie ha-
ben nun die Sophisten den Leib behalten / und das Brod
lassen fahren / und sprechen / das Brod vergehe und ver-
lasse sein Wesen über den Worten / und das Wörtlein
(das) zeige nicht auffß Brod / sondern auf den Leib Chris-
ti / da der Text spricht / das ist mein Leib. Bigleph
wiederumb sicht dagegen / und behelt Brod / und läßt den
Leib fahren / und spricht / das Wörtlein (das) zeige auf
das Brod / und nicht auf den Leib. Also haben sich die
spizköpfe an einander gewekt / daß die Sophisten haben
müssen ein Wunderzeichen erdichten / wie das Brod ver-
gehe / und lasse sein Wesen zu nichte werden. Nu ich hab
bisher gelert / und lere noch / daß solcher Kampff nicht von
nöthen sey / und nicht grosse Macht daran liege / es bleibe
Brod oder nicht. Wie wohl ichs mit dem Bigleph halte
te / daß Brod da bleibe / wiederumb auch halte mit den
Sophisten / daß der Leib Christi da sey. Und also wieder
alle Bernunfft und spizige Logica, halte ich / daß zwey
Unterschiedlich Wesen / wohl ein Wesen sein und heißen
mügen etc.

CXII. Neque tamen Lutherus utrumque unitorum
voculâ demonstrativâ hoc æqualiter designari censuit, sed
 O alter-

alterutrum principaliter, ut prædicatum de hoc quidem, quod ex duobus concretum est, dicatur, non tamen secundum utrumque unitorum, ex quibus concretum est, sed secundum alterutrum tantum, non habitâ ratione alterius, quod cum eo unitum est: ut ipsemet rursus exercitis verbis sese declarat in jam citatâ *Confessione Majori fol. m. 487. b.* cum post adducta quædam, è vulgari usu petita, propositionum exhibitivarum exempla, subjicit: In allen diesen reden siehestu / wie das Wörtlein (das) zeigt auff das Gefässe / und doch weil das geträncke und Gefässe etlicher massen ein Ding ist / so trifft zugleich / Ja wohl fürnemlich das Geträncke. Et in libro contra celestes Prophetas, parte alterâ fol. m. 80. a. : Also hetten sie Sophistische und spitzige Klüglinge an diesem Orth auch mügen das ganze Stück / als Brod und Leib / da Christus von redet / deuten allein auff den Leib / da er spricht / daß ist mein Leib / unangesehen das Brod. Nicht das Brod nicht solle da sein / sondern daß in der Rede so gros am Leibe gelegen ist / das es davon redet / als were eitler Leib da / und alles was da ist / es sey Brod oder Farbe / nichts denn der Leib were. Gleich als wenn auch eine Mutter auff die Wiegen / da ihr Kind innen lege / deutet und spreche / Das ist mein Kind / und ein Sophist spottet ihr / und spreche / Wie? ist die Wiege dein Kind? Meinstu nicht / sie würde ihn für einen Narren oder Scherker halten? Als der muthwilliglich nicht wolte die Sprache verstehen / Da sie beide auff Wiegen und Kind deutet / und doch das Kind fürnemlich meint / als were keine Wiegen da.

CXIII. Hisce clarè docet *Lutherus*, in propositionibus exhibitivis vulgaribus & ipsis etiam verbis Domini voculam *deixlexiv*, hoc, designare quidem concretum quid ex duobus unitis; non tamen designare in eo utrumq; unitorum æqualiter, sed alterutrum principaliter, imò ferè solum.

CXIV.

CXIV. Terminis Scholasticis *B. Lutheri* mens convenienter sic exprimetur: voculam *deixleixiv*, *hoc*, in enunciationibus exhibitivis designare quidem concretum quid ex duobus unitis, sed alterum unitorum in *casu recto*, alterum in *obliquo* & per modum *connotati*: in *casu recto* quidem id, quod in *prædicato* continetur, & per illud significatur; in *obliquo* & per modum *connotati* verò alterum, quod in *prædicato* non continetur, v. gr. cum ostenso dolio, in quo vinum est, dicitur, *hoc est vinum*, vocula demonstrativa, *hoc*, designat quidem totum complexum ex *vino* & *dolio* unitis, sed si ad res unitas respicias, *vinum* solum, idque sub ratione quâdam confusâ, in *casu recto*; *dolium* verò in *obliquo* designabit, ut commodè enunciationis illa in hanc resolvî possit: *hæc res, quæ est in dolio, est vinum*: & cum ostensâ *crumenâ*, in quâ est *aurum*, dicitur, *hoc est aurum*, rursus enunciationis hæc sic resolvî potest: *hæc res, quæ est in crumenâ, est aurum*, auro in *casu recto*, confusè tamen sub conceptu *hujus rei*, designato, *crumenâ* in *obliquo* connotatâ. Par verò ratio, ex *B. Lutheri* mente, est verborum Domini, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*: in quibus vocula *hoc* designat quidem concretum quid ex *pane* & *corpore Christi*, ita tamen, ut *corpus Christi* in *casu recto*, sub conceptu *hujus rei*; *panem* verò in *obliquo* & per modum *connotati* designet, hoc sensu: *hæc res, quam cum hoc pane accipere & comedere vos jubeo, est corpus meum*.

CXV. Hanc esse genuinam *Lutheri* mentem, patet primùm ex eo, quòd in loco, supra ex ejus *Confessione Majori* citato, expressè dicit, in omnibus illis lectionibus, quibus v. gr. ostenso vase, in quo vinum est, dicitur, *hoc est vinum Rhenanum, hoc est vinum Italicum, hoc est vinum rubrum*, voculam *hoc* designare principaliter vinum. Eam

verò non aliã de causã dicet *principaliter* designare vinum, quã quòd vinum *in casu recto* designet, & de illo solo prædicatum affirmetur, vale saltem *in casu obliquo* connotato. Alias enim, si hoc voluisset Lutherus, quòd *vocula hoc* etiam *ipsum vas in casu recto* designet, non potuisset dicere, eam designare vinum *principaliter*. Hoc ipso enim, quòd *vas etiam in casu recto* designaret, æqualiter designaret utrumque, & de utroque prædicatum rectè affirmari posset. Deinde idem colligitur etiam inde, quòd *in libro contra cœlestes Prophetas*, ut paulò antè vidimus, Lutherus permittit, ut in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, *vocula hoc* trahatur ad solum corpus Christi, non *habitã ratione panis*. Cujus rei causa rursus alia reddi non potest, quã quòd *vocula demonstrativa Hoc ipsum corpus Christi in casu recto* designet, & de illo prædicatum, ac si panis planè non ad esset, affirmetur. Tertiò ipse Lutherus verba Domini, *hoc est corpus meum*, quandoque per hæcce exposuit, *in pane, cum pane, sub pane est corpus Christi*. Qui in *Confessione Majorè fol. m. 439. b. seq. & 489.* videri potest. Quæ sanè interpretatio indicio est, quòd *panem in verbis Domini per voculam hoc in obliquo* designari censuerit.

CXVI. Quod dixerat Lutherus, in istis enunciationibus, *hoc est vinum Rhenanum, hoc est vinum Italicum, hoc est vinum rubrum*, designari per *vocuram hoc principaliter*, vel, ut Vorstius reddit, *PRÆCIPUE* vinum. Ad id excipit Vorstius d. l. p. 123. Si ad vinum (*vocula Hoc*) pertineat præcipue, pertinebit tamen ad ipsum *vas quoq;*. At hoc planissimè falsum esse, & rationibus & exemplis liquere potest. Cum dicitur, *hoc est vinum*, nihil id est aliud, quã hæc res est vinum. Porro hæc res est vinum, nihil est aliud, quã si dicatur, *res ea, quam monstro, est vinum, vel quod idem est, Res, quæ à me monstratur, est vinum*

num

num. *Hæc autem vera esse non possunt, si, ut quidam volunt, vocula Hoc non vinum tantum, sed ipsum quoq; vas complectatur.*

CXVII. Verùm quod ad vinum principaliter, & sic ad ipsum vas quoque vocula hoc in prædictis enunciationibus quodammodo pertineat, non planissimè falsum, sed planissimè verum est. Qui enim ostenso vase, in quo vinum est, dicit, *hoc est vinum*, is per voculam hoc non designat hanc rem, quæ vinum est, in se nudam, sed in vase comprehensam, & sic in recto casu quidem designat hanc rem, quæ vinum est, ut, quantum ad id, quod in casu recto ea designat, omninò sensus sit, *hæc res, quam monstro, est vinum*; in obliquo tamen designat etiam ipsum vas, estque propositionis integræ sensus, *hæc res, quæ est in vase, aut hæc res, quam in hoc vase monstro, est vinum*. Hanc rem autem, quæ est in hoc vase, dum vocula hoc designat, designat utique etiam ipsum vas, non quidem principaliter, ut Lutherus loquitur, sive in recto casu, sed minùs principaliter & in obliquo, tanquam rem, ex parte subjecti connotatam. Et qui dicit, *hæc res, quæ in hoc vase est, est vinum*, vase in obliquo casu designato, is, quod res est, dicit, atq; adeò non planissimè falsum, sed planissimè verum dicit. Quod ne Vorstius quidem diffiteri potest, qui in paginâ præcedente enunciationem hanc, *hoc est vinum*, ipsemet in hanc resolvit propositionem, *illud, quod est in vase, est vinum*. Vocula *deixlæn* ergo, juxta ipsummet Vorstium, designat illud, quod est in vase, & sic ipsum etiam vas, non tamen principaliter & in casu recto, sed minùs principaliter & in casu obliquo, uti dictum.

CXIX. Hoc igitur fixum esto & immotum, B. Lutherum de locutionibus vulgaribus, quibus v. g. monstrato vase, in quo vinum est, dicitur, *hoc est vinum*; hoc sensisse: voculam *deixlæn* hoc designare quidem aliquid complexum ex duobus, inter se unitis, non tamen designare

utrumq; unitorum æqualiter, sed alterum principaliter & in casu recto, alterum minus principaliter & in casu obliquo. Vorstius autem tribuit ei longè aliam, & quidem hanc mentem, quòd vocula demonstrativa hoc ita demonstret aliquid ex duobus unitis complexum, ut utrumque unitorum æqualiter & in casu recto designet. Jam, inquit, p. 122. qui verbis istis, hoc est vinum, unitur, ejus quidem digitus non ad vinum tantum, sed ad ipsum quoque vas dirigitur; sed istis tamen verbis minimè ille id agit, ut ipsum vas quoque monstrare se significet. Si mens ejus hæc esset, quod ipsum quoque vas demonstrare vellet, foret id, quod dicit, planissimè falsum. **NEQUE ENIM VAS EST VINUM;** sed illud, quod est in vase, vinum est velesse potest. Qui id agit, ut ipsum vas demonstrare se significet, eum oportebit dicere, non hoc est vinum, vel hæc res est vinum, sed verò hæc res est vas sive dolium &c. Et pag. seq. 123. Si ergo is, qui dicat, hoc est vinum, vel quod idem est, hæc res, quam monstro, est vinum; si, inquam, is qui sic dicat, voculâ hoc duas substantias diversas, & vas & vinum scilicet, complecti velit, atque ita facere totum aliquid, erit id, quod dicit, planissimè falsum. Eorum quippe, quæ ille voculâ Hoc complexum eat, unum non vinum, sed vas sive dolium est. Si istiusmodi complexionem omninò facere, atque etiam verum dicere velis, dicendum ei sic fuerit, Hoc, id est res quam monstro, partim vas est sive dolium, partim verò est vinum. Ut autem verbis illis alteris, hoc est vinum, uti ac simul verum dicere queat, oportet ipsum voculâ Hoc minimè ipsum vas quoque, sed unum atque solum vinum complecti &c.

CXIX. Vides lector, Vorstium hoc propugnare: qui ostenso dolio, in quo vinum est, dicit, hoc est vinum, licet digitum ad totum complexum, atque sic simul ad vas & vinum dirigat, non tamen id eum agere, ut verbis illis utrumque se demonstrare velle significet, ita quidem ut
de utro.

de utroque, & sic de vase etiam in casu recto dicat, quòd sit vinum. Hoc enim vult ejus ratio, quam opponit, quòd eorum, quæ ille voculâ Hoc complexum eat, unum non vinum, sed vas sive dolium sit. Atque hæc contra Lutherum & hos, qui eum sequuntur, ita disputat. At verò hujus opinionis nunquam in mentem venit Luthero, vel aliis, qui eum sequuntur, Theologis. Quin ipsemet Lutherus rejicit eam in Confess. Majoræ fol. m. 487. hisce satis perspicuis verbis: Wenn nu hie ein spiziger Bigleph oder Sophist wolt lachen und sagen / du zeigest mir den Beutel / und sprichst / das sind hundert Gûlden / wie kan Beutel hundert Gûlden sein? Item wenn er spreche / Du zeigest mir das Faß / und sprichst / Es sey Wein / Lieber Faß ist Holz und nicht Wein / Beutel ist Leder und nicht Gold. Deß würden auch die Kinder lachen / als eines Narren oder Scherzers. Denn er zureißt die zwey vereinigte Wesen von einander / und wil von einem ieglichen insonderheit reden / so wir doch jetzt in solcher rede sind / da die zwey Wesen in ein Wesen sind kommen. Denn das Faß ist hier nicht mehr schlecht Holz oder Faß / sondern es ist ein Weinholz / oder Weinfass / und der Beutel ist hie nicht mehr schlecht Leder / oder Beutel / sondern ein Goldleder / oder Geldbeutel. Wenn du aber das Ganze wilt also zurtrennen / Gold und Leder von einander thun / so ist freylich ein ieglich Stück für sich selbst / und müssen denn wohl anders von der Sache reden / also / das ist Gold / das ist Leder / das ist Wein / das ist Faß. Aber läst du es ganz bleiben / so mustu auch ganz davon reden / zeigen aufs Faß und Beutel / und sagen / das ist Gold / das ist Wein / umb der Einigkeit willen das Wesens. Sensus horum verborum est: Monstrato vase, in quo vinum est, rectè dici, hoc est vinum, ut vocula duplex in hoc totum ex vase & vino complexum designet, & de eo vinum prædicetur propter unionem, quæ inter vas & vinum, ex quibus illud complexum

plexum

plexum est, intercedit. Neque tamen licere prædicatum, vinum, seorsim ad alteram complexi partem, vas scilicet, trahere, & illud etiam vinum dicere: cum vocula hoc non designet vas seorsim, sed in quantum vas vini est, & vinum continet, ita quidem, ut vinum principaliter, ut in proximè præcedentibus sese Lutherus explicuerat, hoc est, in recto casu; vas autem minus principaliter & in obliquo designet. Hinc ridiculos & stolidos futuros, qui cuiquam, vas quoddam, in quo vinum est, monstranti & dicenti, hoc est vinum, regerere voluerint: Tu ostendis nobis vas, & dicis esse vinum: Vas lignum est, non vinum. Causam, cur stolidi habendi sint, Lutherus reddit hanc, quòd quæ in uno complexo unita sunt, illi distrahant, & prædicatum, vinum, referant ad alteram complexi partem, vas scilicet, seorsim tanquam ad rem, per voculam hoc principaliter & in casu recto designatam, quæ tamen eà non nisi propter unionem & saltem minus principaliter atq; in obliquo casu designetur: Quo ipso tota Vorstii objectio evertitur. Ex eo enim, quod dixerat Lutherus, in prædictis locutionibus vulgaribus, v. gr. hoc est vinum, voculam hoc designare complexum quid ex vase & vino, ita tamen, ut vinum principaliter designet, colligit Vorstius, ipsum etiam vas dicendum esse vinum. Sed Lutherus docet, hos, qui ita colligunt, esse ridiculos & stolidos, quòd, quæ in uno complexo unita sunt, distrahant, & prædicatum, de complexo juxta unum saltem unitorum, puta quod voculam hoc principaliter & in casu recto designatur, affirmatum, ad alterum unitorum seorsim referant, quod tamen non nisi propter unionem, nec principaliter, sed minus principaliter & in obliquo per modum connotati eà designetur. Et sanè ex Lutberi mente verba illa, hoc est vinum, non ita erant resolvenda, ut ipsum etiam vas diceretur vinum, sed

sed

sed tantum ut *hæ res*, quæ est in vase, per voculam *Hæc* in casu recto denotata, *vinum* diceretur, *vas* autem in obliquo saltem significaretur.

CXX. Post hanc futilem disceptationem progreditur *Vorstius* ad id, quod initio sibi demonstrandum iusserat, nempe verba Domini, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, nullo modo esse cum istis vulgaribus locutionibus, *hoc est vinum, hæc est aqua*, comparanda. Sed, inquit p. 125. porro docendum ac demonstrandum illud, quod verba Domini, *hoc est corpus meum, cum locutionibus istis vulgaribus: hoc est vinum, hæc est aqua, NULLO MODO sint comparanda.* Urget autem primò, quòd *Lutherus*, quique cum sequuntur, pro verbis ipsius Domini, *hoc est corpus meum, frequentet hanc p̄n̄on, hic panis est corpus Christi.* Ex quo pag. seq. 126. ita colligit: Si utrorumque verborum, *Christi puta, hoc est corpus meum, & istorum vulgarium, hoc est vinum, par est ratio, oportet pares quoque enunciationes illis equipollentes poni, ut, quemadmodum ex verbis Christi, hoc est corpus meum colligunt, panem esse corpus Christi, ita ex verbis, hoc est vinum, colligant, ipsum vas sive dolium esse vinum. Quia verò illinc illud, istinc verò non istud colligunt, agnosci vel ex hoc potest, comparationem verborum Christi cum prædictis illis locutionibus vulgaribus minus rectè factam esse.*

CXX. Est hoc argumentum *κατ' ἀνθρώπων*, quod non nisi illos Protestantium Theologos stringit, qui ipsis Domini verbis, *hoc est corpus meum, & his, panis est corpus Christi*, promiscuè usi sunt & utuntur. Imò ne hos quidem stringit. Si quam enim concludendi vim habet, non illud certè concludet, quod contra eos concludendum erat, nempe verba Domini, *hoc est corpus meum, non posse cum istis vulgaribus in his, in quibus ipsi ea comparant,*

P
com-

comparari, multò autem minùs concludet hoc, quòd
 contra eosdem *Vorslius* sibi demonstrandum sumerat,
 nempe *verba Domini*, hoc est corpus meum, **NULL-**
LO MODO comparanda esse cum locutionibus vul-
 garibus, hoc est vinum, hæc est aqua: sed id saltem,
 nec quicquam concludet aliud: Non esse utrorumque
 verborum, Christi puta, hoc est corpus meum, & istorum vul-
 garium, hoc est vinum, prorsus & per omnia parem rationem.
 Nisi enim argumenti antecedens, additis voculis prorsus,
 per omnia, aut similibus limitetur, ut ita habeat: Si utro-
 rumque verborum, Christi puta, hoc est corpus meum, &
 istorum vulgarium, hoc est vinum, **PRORSUS ET PER**
OMNIA par ratio est; consequentiam nullam futuram,
 & argumentum vitio fallaciæ, quam à dicto secundum quid
 ad dictum simpliciter appellant, laboraturum esse, cæcus
 fit, qui non videat. Ex eo enim, quòd secundum quid & in
 aliquibus verborum utrorumque par ratio est aut esse di-
 citur, concluderetur, quòd simpliciter & in omnibus pa-
 rem illorum rationem, & consequenter etiam pares ut-
 trisque æquipollentes enunciationes esse oporteat. Quòd
 nihil esset aliud, quam à dicto secundum quid ad dictum sim-
 pliciter concludere, ut Logicorum scholæ loqui amant.
 Si verò antecedens modo jam dicto fuerit limitatum,
 porrò ex negatione consequentis illud, etiam sic li-
 mitatum, negandum & sic concludendum erit: Ergo
 non est utrorumque verborum, Christi puta, hoc est corpus
 meum & istorum vulgarium, hoc est vinum, **PRORSUS**
ET PER OMNIA par ratio. Quæ conclusio nec Lu-
 thero, neque aliis, qui eum seqvuti verba Domini cum
 prædictis vulgaribus comparant, adversabitur. Nemo
 enim illorum, quòd sciam, dixit unquam, verborum u-
 trorumque, Christi, hoc est corpus meum, & istorum vul-
 garium,

garium, hoc est vinum, prorsus & per omnia parem esse rationem: nemo ea prorsus & per omnia inter se comparavit: sed in hoc saltem comparari altera cum alteris solent, quòd vocula demonstrativa hoc in utrisque quippiam, ex duobus unitis complexum, & consequenter unitum utrumque designet, inæqualiter tamen, & alterum principaliter ac in casu recto, alterum minus principaliter & in obliquo: ut sicut horum vulgarium, quibus ostenso vase dicitur, hoc est vinum, omnium iudicio, hic est sensus, hæc res, quæ est in hoc vase, est vinum, hæc re, quæ vinum est, in recto, vase in obliquo significato; ita in alteris Domini, quibus dato pane dixit, hoc est corpus meum, sensus sit, hæc res, quam cum pane do, vel quam cum pane accipitis & comeditis, est corpus meum, hæc re, quæ corpus Christi est, in casu recto, pane autem in obliquo significato. Si quis hanc ab ipsis institutam comparationem longius extendere voluerit, is sanè præter illorum mentem id fecerit.

CXXII. Neque tamen verum est, quòd in consequente sui argumenti Vorstius dicit, Lutherum, & qui eum sequuntur, colligere ex verbis Domini, hoc est corpus meum, hanc eis æquipollentem enunciationem, panis est corpus Christi, sive, ut ibidem in proximè præcedentibus illorum mentem declarat, eos colligere ex illis hanc $\rho\acute{\alpha}\nu\sigma\iota$, panis est corpus Christi, eam ob causam, quòd vocula Hoc in illis duo comprehendat, panem & corpus Christi: nempe persuasum est Vorstio, Lutherum dicentem, voculam hoc denotare in verbis Domini totum complexum ex panem & corpore Christi, voluisse hoc, eam denotare utrumque, panem & corpus Christi, in casu recto, & collegisse hinc, quòd etiam de pane tanquam altera parte complexi, in casu recto dici debeat, quòd sit corpus Christi. At verò superius n. CXII. & seqq. docuimus nos ipsismet Lutheri

verbis, quòd solum *corpus Christi*, confusè tamen sub conceptu *hujus rei*, principaliter & in casu recto, eà designari existimaverit, non panem adeò, ut prædicatum, *corpus meum*, de illo affirmari diceret, *non habitâ ratione panis*. Quo stante, non potuit *Lutherus* statuere, panem etiam, tanquàm alteram partem complexi sacramentalis, esse *corpus Christi* dicendum, neque ex eo, quòd in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, vocula, *hoc* utrumque, panem & *corpus Christi*, comprehendat, illud colligere potuit: cùm ex ejus mente, uti dictum, panem illa saltem minus principaliter & in obliquo designet, ut eum, pro altera parte complexi sacramentalis acceptum, *corpus Christi* esse aut dici tam repugnet, quàm *vas*, in quo vinum est, *vinum* esse aut dici repugnat.

CXXIII. Quod autem hâc etiam enunciatione, *panis est corpus Christi*, usus est, causa non est, quòd vocula *hoc* in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, duo, panem & *corpus Christi*, comprehendat, sed quòd Dominus, Evangelistis tribus & Paulo testibus, accepit PANEM, egit gratias, fregit (eum) ac dedit discipulis, dicens, accipite, comedite, *hoc est corpus meum*. Ex his collegit, voculâ *hoc* designasse Dominum panem, super quo actæ fuerant gratiæ, & dixit hinc, panem, illum, puta, super quo actæ sunt gratiæ, esse *corpus Christi*, Patribus antiquissimis quibusq; ei præeuntibus. Quia autem panis, super quo actæ sunt gratiæ, Scripturæ & sensuum judicio, adhuc panis est, & per se ac suam substantiam *corpus Christi* esse nequit, & tamen de illo Dominus, quòd suum corpus sit, dixit, collegit cum *Ireneo* & aliis Patribus porro, panem hunc, super quo actæ sunt gratiæ, & qui verbum Dei percepit, non jam nudum esse panem, sed *Eucharistiam*, duabus rebus, terrenâ & celesti, hoc est, pane & corpore Christi, constantem; &

con-

consequenter collegit etiam, in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, voculam *hoc*, panem illum designantem, designare complexum quid ex *pane & corpore Christi*. Non igitur enunciationem hanc, *panis est corpus Christi*, Lutherus collegit ex eo, quod in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, vocula *hoc* duo, *panem & corpus Christi*, comprehendat, ut Vorstius opinatur: sed ordine inverso, ex eo, quod in enunciatione hâc, *panis est corpus Christi*, panis non denotat panem nudum, sed complexum quid ex *pane & corpore Christi*, collegit, in verbis Domini etiam voculam *hoc*, eo ipso, quod hunc Eucharisticum panem designet, designare complexum quid ex *pane & corpore Christi*.

CXXIV. Atque hinc intelligitur, quod, cum in casu recto Lutherus, & ante eum veteres Patres dixerunt, *panis est corpus Christi*, voce *panis* non intellexerint alteram partem complexi sacramentalis, quod in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, per voculam *Hoc* designatur, sed totum complexum sacramentale. Intellexerunt enim *panem*, super quo gratiæ actæ sunt, & qui vocationem sive verbum Dei, ut Irenæus loquitur, percepit, ac proinde non amplius *panis communis*, sed *Eucharistia est*, duabus rebus, terrenâ & cœlesti, h. e. *pane & corpore Christi constans*, habetque enuntiatio hæc, *panis (eucharistiæ) est corpus Christi*, cognationem quandam cum hâc personali, *Deus est homo*, ut supra n. XCIX. ut & n. LXXXI. vidimus.

CXXV. Quibus ita habentibus, facile est, causam reddere, cur pro verbis Domini, *hoc est corpus meum*, Lutherus & ante eum Patres antiquissimi, hâc etiam usi sint enunciatione: *panis est corpus Christi*, non tamen in locutione vulgari, quâ ostenso vase dicitur, *hoc est vinum*, pro verbis, *hoc est vinum*, perinde hâc liceat uti enunciatione: *hoc vas est vinum*: nempe quia vox *panis* duplicem sustinet

significationem: unam quidem, quam ex usu vulgari; alteram, quam ex usu loquendi Ecclesiastico sortita est. Illa enim tantum denotat panem; hac panem, qui accedente verbo Dei factus est eucharistia, & rebus duabus, terrenâ & caelesti, h. e. pane & corpore Christi constat. Vas autem sive dolium tantum unam habet significationem, quâ id saltem, quo vinum continetur, non totum ex vase & vino complexum significat. Unde dici non potest, vas est vinum, sed tantum dicendum est, hoc vel hæc res, quæ est in vase, est vinum. Dicit tamen potest, panis est corpus Domini, panis voce in altero Ecclesiastico significato, quo complexum quid ex pane & corpore Christi denotat, acceptâ. Si verò in significato priori vox panis accipiatur, nempe pro solo pane, qui alteram partem complexi sacramentalis constituit, non magis dici poterit, panis est corpus Christi, quam dici potest, vas sive dolium est vinum, sed sicut hîc dicendum est, hæc res, quæ est in vase, est vinum; ita illic dicendum erit, hæc res, quæ cum pane accipitur & comeditur, est corpus Christi.

CXXVI. Sed ad Vorstium redeamus. Quòd verba Domini nullo modo comparanda sint cum istis vulgaribus, hoc est vinum, confirmaturus urget prætereâ pag. 127. quòd in his vulgaribus, hoc est vinum, vocula HOC sit merè deivlexn, & tantum rem demonstret; in verbis Domini autem non sit merè deivlexn, sed simul relativa. Ratio ejus est: quia verbis, hoc est corpus meum; Dominus præmisit aliquid, & dixit: Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, ita ut vocula hoc referat verba, accipite, comedite, & sensus sit: Accipite, comedite, quod accipietis & comedetis, est corpus meum. Si autem verbis vulgaribus, quibus, ostenso vase, dicitur, hoc est vinum, etiam præmittatur, accipe, bibe, tum opinatur evidens futurum, quòd vocula hoc non simul vas & vinum complectatur.

Quod

Quod enim accipitur & bibitur, non utrumque est, vas & vinum, sed vinum solum.

CXXVII. Verum Vorstius, ut aliàs sapè, ita in hac etiam objectione committit fallaciam ignorationis Elenchi. Concludit enim, voculam hoc in locutione vulgari, hoc est vinum, si præmittatur accipe & bibe, non posse unitum utrumque comprehendere æqualiter, sive ita, ut de vase etiam in casu recto dici possit, quòd sit vinum, Quod nunquam in quæstionem venit. Hoc autem est, de quo controversatur, annon utrumq; comprehendat unitum, inæqualiter tamen, & alterum principaliter ac in casu recto, alterum minus principaliter & in obliquo? Cujus affirmati-
væ parti sanè nihil obsunt verba accipe, bibe, sive ea præmittat, qui, monstrato vase, dicit, hoc est vinum, sive ea non præmittat. Si enim ipsa præmittat, nihilominus sensus satis rectè habebit. Erit autem hic: accipe, bibe, hæc res, quæ in vase est, est vinum, ita ut hanc rem, quæ est in vase, in casu recto, ipsum vas in obliquo vocula hoc designet.

CXXIIX. Atq; his claudit Vorstius in libro primo Dissertationum ipsum caput VI. atque adeò demonstrationem etiam, quæ verba Domini, hoc est corpus meum, nullo modo cum his vulgaribus, hoc est vinum, comparanda esse, evicturus erat, si demonstrationem appellare fas est. Continet enim meras futilitates, quibus probandi vis nulla inest. Inferius tamen in cap VIII. libri ejusdem, pag. 167, reassumit isthanc disceptationem, eamque continuaturus, fatetur initio, si verbis vulgaribus, hoc est vinum, præmittantur verba, accipe, bibe, tum illa & alias vulgo receptas locutiones similes id habituras commune cum verbis Domini, accipite, comedite, hoc est corpus meum, quòd vocula Hoc, utrobique referat atque representet ea, quæ præcedunt,
& in

& in illis quidem vocula Hoc eandem vim habeat, quam habent verba, Quod accipere & biberete volo; in his verò eadem vocula Hoc significet idem, quod significant hæc verba: Quod accipere & comedere vos volo. Dicit verò, hoc discrepare locutiones istas, quòd, quid illud sit, quod accipiendum & bibendum est, id ex prædicato demùm sit intelligendum, & ex ipso vocabulo vinum quidem: quid autem illud esset, quod accipiendum & edendum erat, non ex prædicato corpus demùm intelligendum discipulis fuerit, sed ex oculari inspectione, quod videlicet panis esset. — Nos verò, qui cum ipso Domino non accubuimus, neque verba, hoc est corpus meum, proferentem ipsi audivimus, ex historiâ tamen Evangelicâ aequè certò scire posse, atque discipuli Christi ex inspectione oculari servarunt, quod vocabulo Hoc non nisi panis designatus fuerit. — Quod ostendit hunc in modum: Scripserunt Evangelistæ, atque ipsis illis verbis Domini, hoc est corpus meum, etiam præmiserunt, sumsisse Dominum panem, egisse super eo gratias, fregisse eum, dedisse discipulis, his additis verbis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Tantum Evangelistæ scripserunt, sumsisse Dominum panem, atque eundem panem dedisse Apostolis; non verò unâ cum pane aliquid etiam aliud, & quidem ipsum corpus, dedisse. Si Apostoli præter panem ipsum quoque corpus Christi edendum acceperint, oportet Apostolis, præter panem, ipsum corpus Christi & datum fuisse. Nam quod à Christo non datum fuit, id à Christo nec accipere potuerunt. Porro si præter panem ipsum quoque corpus Christi ore manducandum datum esset, ipsi Apostoli & Evangelistæ id utique significassent, & scripsissent quidem, sumsisit Jesus panem, egit super eo gratias, fregit eum, deditque discipulis suis, atque unâ cum eo ipsum suum corpus dedit, dicens: Accipite, comedite. Hæc (quæ accipere & comedere vos jubeo) sunt panis & corpus meum. Sed ita illi non scripserunt; sed

omnes

omnes unanimiter modo sic scripserunt, Dominum discipulis panem dedisse. Quod ergo tantum hoc scripserunt, Dominum discipulis panem dedisse; de corpore autem simul dato atque porrecto, nihil quicquam addiderunt, ex eo colligimus nos, ipsum corpus Christi simul nec datum fuisse, cum daretur panis. Si enim datum simul fuisset, Evangelistas illud exprimere haud neglecturos fuisse est verisimile. Qui autem contendere volet, unam cum pane ipsum quoque corpus Christi manducandum ore discipulis datum fuisse, is certe non ex verbis Evangelistarum, dedit panem discipulis, id colligere ac demonstrare poteris; sed de probationibus omnino aliis cogitare necesse habebit. Si dixerit, ex ipsis illis verbis Domini, Accipite, edite, hoc est corpus meum, intelligi non modo hoc posse, quod panis & corpus Christi accipi debuerint; verum etiam quod eadem illa à Domino & data atque porrecta fuerint; si, inquam, si dixerit, contendam ego contra, non ex posterioribus hic priora, sed ex prioribus posteriora intelligenda esse.

CXXIX. Hæc Vorstius partim benè, partim malè. Benè habet, quod in locutione vulgari accipe, bibe, hoc est vinum; aliisque similibus; & in verbis Domini, accipite, comedite, hoc est corpus meum, voculæ Hoc eandem rationem esse admittit. De eo autem, an utrobique quæ præcedunt, referat & repræsentet, & in illis quidem denotet idem, quod hæc significant verba, Quod accipere & bibere te volo; in his verò eandem habeat vim, quam habent verba, Quod accipere & comedere vos volo, infra dispiciemus. Et huc usque verba Domini hoc est corpus meum, & altera vulgaria, hoc est vinum, rectè inter se comparari, Vorstius diffiteri non potest. Deinde id etiam benè habet, quod in istâ locutione vulgari, quâ ostenso vase dicitur, accipe, bibe, hoc est vinum, quid illud sit, quod accipiendum & bibendum est, dicit ex prædicato demùm, & ex ipso vocabulo vinum quidem intelligendum esse.

Q

Cætera

tera autem, quæ subjunxit, frivola omnia sunt, & male habent.

CXXX. Et primùm quidem frivolum atque ineptum est, quod dicit, in verbis Domini, *quidnam illud esset, quod accipiendum & edendum erat, non perinde ut in alteris vulgaribus, ex prædicato, corpus, intelligendum discipulis fuisse.* Quamobrem enim in istis verbis vulgaribus, *accipe, bibe, hoc est vinum,* ex prædicato demum, *quidnam sit, quod accipiendum & bibendum est,* intelligi oportet? Nonne causa est, quod nec antecedentia, *accipe, bibe,* neque vocula *Hoc,* quæ ea referat, id distinctè declaret, sed solum prædicatum *vinum,* quod per copulam *est* cum voculâ *Hoc* compositum, significet, *hoc quod accipiendum & bibendum est, esse vinum.* At verò par planè ratio est verborum Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Quidnam enim esset, quod accipiendum & comedendum discipulis erat, neque verba, *accipite, comedite,* neque vocula *Hoc* discipulis distinctè declarabat, sed solum prædicatum, *corpus meum,* quod per verbum *est* cum voculâ *Hoc* compositum, significabat, *hoc quod accipiendum & comedendum erat, esse corpus Christi.* Neque enim verbum *Est* in his Domini verbis minùs, quàm in illis vulgaribus, copulæ vim sustinet, & identitatem prædicati cum subjecto importat.

CXXXI. Deinde frivolum & ineptum est, quòd dicit *ex oculari inspectione intelligendum discipulis fuisse, quidnam esset, quod accipiendum & comedendum erat.* Quid enim? An conveniebat discipulis in hoc mysterio tremendo, quo jam instante mortis horâ Dominus suum corpus ipsis edendum, suumque sanguinem bibendum ad animarum salutem instituebat, posthâbitus Magistri verbis, sensum stare judicio, & quod *nil nisi panem sibi dari*
oculis

oculis viderent, statuere, nil nisi panem esse, quod accipere & comedere jubebantur, ut ut Dominus tam sanctè confirmaret, suummet corpus esse, quod daro pane, super quo egerat gratias, ipsos accipere & comedere vellet, *Accipite, inquit, comedite, hoc est corpus meum;* id est, ut *Vorstius* interpretatur, *Quod accipere & comedere vos volo, est corpus meum?* Sanè si in rebus fidei semel hæc ratio procedendi admittatur, perquam facile erit alios quovis Christianæ fidei articulos exterminare, ut tandem nil, nisi quod oculis videmus, aut manibus palpamus, credendum relinquatur. Sic quisnam esset Christus, discipulis non intelligendum demùm fuisset ex prædicatis, quibus sese Deum & Dei Filium esse ipse testabatur, sed ex oculari inspectione eum non nisi hominem esse, intelligere debuissent. Neque enim minùs ipsis ocularis testabatur inspectio, *Christum esse hominem, quàm panem esse, qui à Domino dicente, accipite, comedite, hoc est corpus meum, porrigebatur.* Si ergo hinc discipuli debuerunt intelligere, non nisi panem sibi dari, non obstante, quod exertis verbis diceret Dominus, *accipite, comedite, hoc (Quod vos accipere & comedere volo) est corpus meum,* quidnì ex eo etiam, quòd *Christum hominem esse* ocularis docebat inspectio, concludere debuerint, *eum non nisi hominem esse,* quicquid tandem esset de prædicatis, quibus se Deum esse Dominus ipse testificabatur? Atque sic *Theologia Thomistica* tandem in Ecclesiam invehetur, non quidem illa *Thomæ Aquinatis*, à *Luthero* profligata, sed alterius multò antiquioris, *Didymi dicti*, qui cæteris Domini discipulis dicitibus: *Vidimus Dominum;* respondebat: *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & immisero manum meam in latus ejus, nequaquam credam.* Cui tamen à Domino, præmissâ correctione, reponebatur illud: *Beati qui non viderunt,*

punt, & crediderunt, *Joh. XXI. 24. seqq.* Vel si hanc theologizandi rationem, quâ ad nullas non hæreses fenestra aperitur, *Vorstius* ab Ecclesiæ pomœriis abesse vult, dicat potius, discipulos Domini, sicut ex *oculari inspectione* Christum *verum hominem* esse; ex *prædicatis* verò, quibus se Deum esse ipse declarabat, eundem *verum Deum & Filium Dei viventis* esse, intelligebant, ita in S. Cœnâ panem sibi accipiendum & comedendum esse, ex *oculari inspectione*, & ipsummet *Domini corpus* etiam sibi accipiendum & comedendum esse, ex *prædicato*, *corpus meum*, intelligere debuisset & intellexisset, præsertim cum prædicatum, *corpus meum*, ipso *Vorstio* iudice, pertineat ad illud, quod accipiendum & comedendum discipulis erat, hoc sensu: *Quod accipere & comedere vos volo, est corpus meum.* Quam in rem benè *Lutherus* in libro, *quod verba Domini, hoc est corpus meum, adhuc firma stent*, *Tom. III. Jen. Germ. fol. m. 341. b.* Da stehet nu der Spruch / und lautet klar und heile / daß Christus seinen Leib gibt zu essen / da er das Brod reicht. Darauf stehen / glöuben und leren wir auch / daß man im Abendmahl warhafftig und leiblich Christus Leib isset und zu sich nimpt. Wie aber das zugehe / oder wie er im Brod sey / wissen wir nicht / sollens auch nicht wissen / Gottes Wort sollen wir glöuben / und ihme nicht Weise noch Was sehen. Brod sehen wir mit den Augen / aber wir hören mit den Ohren / daß der Leib da sey.

CXXXII. Tertio frivolum etiam & ineptum, quod dicit *Vorstius*, *nos qui cum Domino non accubuimus, neque verba, hoc est corpus meum, proferentem ipsi audivimus, ex historiâ Evangelicâ tamen, quâ dicitur, Dominum sumfisse panem, egisse gratias, fregisse eum, ac dedisse, certo intelligere posse, quod discipulis nihil aliud quàm panis, darum fuerit.* Nam verba *Evangelistarum*, *accepit panem, egit gratias, fregit & dedit*, declarant partim, quid ante consecrationem Dominus, S. Cœnam instituturus & celebra-

lebra-

lebraturus, adhibuerit, nempe *panem*, partim quid in ipso institutionis & celebrationis actu super *pane* dixerit & egerit, nempe quod egerit gratias, fregerit panem, dederitq; discipulis. Utrum verò postea, cum gratiarum actione peractâ panis daretur, & diceretur, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, adhuc merus panis, vel ut *Vorstius* loquitur, *non nisi panis* id quod dabatur, fuerit, de eo verba illa Evangelistarum nihil determinant. Quæ autem subsequuntur, Christi verba, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*; quid hæc de re sentiendum & credendum sit, declarant, testanturque, non ut antè panem nudum, sed ipsummet etiam corpus Christi fuisse, quod dabatur. Nam vocula *Hoc*, si *Vorstio* credimus, habet in illis vim eandem, quam habent verba, *Quod accipere, & comedere vos volo*: verbum est autem significat identitatem prædicati, *corpus meum*, cum subjecto *Hoc*, ut verborum sensus hic proveniat: *Quod accipere & comedere vos volo, est corpus meum.*

CXXXIII. Quartò etiam frivolum est, quod urget *Vorstius*, Evangelistas scripsisse tantum, *Dominum sumsisse panem, atque eundem dedisse Apostolis*; non verò scripsisse, eum unà cum pane aliquid etiam aliud, & quidem ipsum corpus suum dedisse; & quod hinc colligit, non ipsum Domini corpus discipulis datum & ab his acceptum esse. Quamvis enim Evangelistæ non illis à *Vorstio* præscriptis verbis usi fuerint, & dixerint, *Dominum unà cum pane dedisse discipulis aliquid etiam aliud, & quidem ipsum corpus suum*, aliis tamen, partim suis partim Domini verbis, illud ipsum significarunt. Et suis quidem verbis significarunt, *panem dedisse Dominum, & quidem panem, super quo actæ fuerant gratiæ*, cum scripserunt, *Dominum accepisse panem, egisse super eo gratias, fregisse (eum) & dedisse.* Domini autem verbis significarunt, ipsum dedisse etiam suum corpus

eum scripserunt, eum dixisse de illo, quod dabat: accipite, comedite, hoc est corpus meum, ut ita, juxta hanc narrationem Evangelicam, Dominus & panem dederit discipulis, & corpus suum, atque adeo unà cum pane corpus suum; panem quidem, ut repetam, vi verborum, accepit panem, egit super eo gratias, fregit & dedit eis; corpus suum verò vi verborum, accipite, comedite, hoc est corpus meum. Unde ex utrisque, junctim sumtis, colligendum erat Vorstio, & panem datum esse discipulis, & prater panem, etiam aliud quid, nempe ipsum corpus Domini; non autem ex unis & solis Evangelistarum verbis colligendum erat, non nisi panem esse à Domino datum, alteris Domini verbis fusque deque habitis. Et si utraque conjungantur, utrumque, panem & corpus Domini datum esse, intelligi haud difficulter potest: ut nihil appareat causæ, cur Evangelistæ, utrumque à Domino datum esse significaturi, necesse habuerint illis à Vorstio præscriptis verbis uti & scribere: Sumpsit Jesus panem, egit super eo gratias, fregit eum, deditque discipulis suis, atque unà cum eo ipsum suum corpus dedit, dicens, accipite, comedite. Hæc (quæ accipere & comedere vos jubeo,) sunt panis & corpus meum; præsertim cum propositum fuerit Evangelistis, quæ viderant & audiverant, vel ab aliis visa & audita esse acceperant, historicè commemorare, non suâ commentatione explanare, aut alia, quàm quæ visa vel audita essent, referre. Non viderant autem, Dominum unà cum pane sumfisse aut dedisse corpus suum; sed viderant saltem, eum sumfisse panem, & præmissâ gratiarum actione, fregisse eum, & dedisse. Neque audiverant eum dicere, accipite, comedite, hæc sunt panis & corpus meum, sed hæc audiverant: accipite, comedite, hoc est corpus meum. Quamobrem hæc, non alia, scripserunt. Quando autem scripserunt, Dominum sumfisse panem

nem

nem, egisse super eo gratias, fregisse eum, & dedisse discipulis; lectori ex hoc intelligendum reliquerunt, id quod dedit discipulis, fuisse panem, super quo acta fuerant gratias, sive panem, qui vocationem seu verbum Dei perceperat. Et quando subjecerunt, eum dedisse hunc panem, his additis verbis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*; iterum lectori colligendum reliquerunt, id quod dato isto pane Dominus accipere & comedere iussit, non fuisse panem tantum, sed unâ cum pane etiam aliud quid, nempe ipsum ejus corpus, atque sic Dominum dedisse etiam suum corpus, cum panem daret, quamvis discipuli panem solum sibi dari cernerent.

CXXXIV. Faciamus tamen, Evangelistas scripsisse, Dominum dedisse discipulis panem, & unâ cum pane aliquid etiam aliud, nempe corpus suum, quid profecturi hâc scripture fuissent apud eum, qui non habitâ ratione verborum Domini, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, ex solâ oculari inspectione, quid à Domino daretur, discipulis intelligendum fuisse, hodiè contendat? Nunquid eum plus delaturum putemus verbis Evangelistarum, dicentium, *dedit panem, & unâ cum pane aliquid etiam aliud, nempe corpus suum*, quam nunc deferat verbis ipsius Domini, dicentis, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*? Annon potius ista etiam verba illorum, invento effugio, in alium sensum detorturus, & dicturus esset, id quod unâ cum pane Dominus dedit, non fuisse ipsum ejus corpus, sed quandam virtutem in pane? sicut in his Augustini verbis: *Sacrificium Ecclesie constare duobus, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu carne & sanguine*; Vorstius carnem & sanguinem Domini nostri Jesu interpretatur per virtutem in pane & vino, ut supra n. LXXXIV. vidimus. Qui enim sentit, discipulos Domini debuisse in primâ

primâ

primâ Cœnâ Dominicâ, posthabitis verbis Domini, sensuum niti iudicio, & statuere, *non nisi panem* sibi dari, quòd *non nisi panem* sibi dari viderent, quidnî in consideratione narrationis Evangelicæ ipse etiam, post habitis illis Evangelistarum verbis, sensuum stet iudicio, & quòd nec olim discipuli aliud quàm panem sibi dari viderint, nec ipse hodiè in sacrâ Cœnâ aliud quàm panem sibi dari videat, *non nisi panem* discipulis in primâ Cœnâ à Christo datum esse, & sibi hodiè etiam *non nisi panem* à Sacerdote in sacrâ Cœnâ dari, concludat? Verbis Evangelistarum, autem, *dedit panem, & unâ cum pane dedit etiam aliquid aliud, nempe suum corpus*, æquè facile invenerit glossam, per quam cum oculari inspectione concordent, atque verbis Domini, *hoc est corpus meum*; & sicut in his *corpus Christi*, significatione propriâ desertâ, interpretatur per *signum corporis Christi*, ita in illis idem per *virtutem in pane* haud dubiè interpretaturus esset.

CXXXV. Non præter rem quis huc referat, quæ Lutherus in Confessione Majore fol. m. 489. a. ad diluendam objectionem, à jam discussâ Vorstii objectionem non longè abeuntem, differuit. Ea erat hæc: *Non dixisse Evangelistas, Dominum dedisse IN vel CUM PANE corpus suum*. Verba Lutheri autem; ad eam reposita, inter alia habent ita: *Wo der Text also stünde / nemet / esset / in dem Brod ist / mein Leib / oder mit dem Brod ist mein Leib / oder unter dem Brod ist mein Leib / Da solts aller erst eitel Schwermer regen / hageln und schneien / die da rieffen / sihe da / hörestu da? Christus spricht nicht / das Brod ist mein Leib / sondern / im Brod / mit Brod / unter Brod ist mein Leib / und solten schreien / ô wie gerne wolten wir glauben / wenn er hette gesagt / Das ist mein Leib / das were durre und helle geredt. Aber nu er spricht / im Brod / mit Brod / unter Brod / so folget nicht / daß sein Leib da sey / und*

und würde also tausent Ausflucht und Glosse über die Wort (im/mit/unter) erichten / auch mit grössern Schein und viel weniger zu halten sein / denn ist. Noch dürfen sie sagen / wo stehts geschrieben / das Christus Leib im Brod sey / Gerade / als weren sie bereit zu glauben / wo wirs beweisen könnten / und wollen doch nicht glauben / da wir beweisen wol mächtiger / Das Brod sey der Leib Christi / welches ja stärker und klärer seinen Leib dazu sein ausspricht / denn dieser Text / Im Brod ist mein Leib. Aber sie liegen / und geben für / GOTT solle Text stellen / wie sie es ihm fürmahlen / und wenn ers schon thete / so würden sie es doch nicht annehmen / weil sie diesen nicht annehmen. Et Joh. 490. Heute Christus also gesagt / In dem Brod ist mein Leib / so hetten sie vielmehr Schein / und möchten fürgeben / Christus ist im Brod geistlich oder deütelich. Denn haben sie in diesen Worten / das ist mein Leib / können finden eine figürliche Rede / wie viel mehr würden sie dieselbigen finden in diesen Worten ? (In dem Brod ist mein Leib) und dazu mit grössern Schein / Denn es ist heller und einfältiger geredt / wenn ich sage / Das ist mein Leib / denn / in dem ist mein Leib ic.

CXXXVI. Sed eò unde digressi sumus, revertamur. Quintò frivolum etiam est, quod in verbis, suprà citatis, Vorstinus dicebat: *Qui autem contendere volet, unà cum pane quoque corpus Christi manducandum ore discipulis datum fuisse, is certè non ex verbis Evangelistarum, dedit panem discipulis, id colligere ac demonstrare poterit; sed de probationibus omninò aliis cogitare necesse habebit.* Ecquis enim unquam ex verbis Evangelistarum, *dedit panem discipulis, probatum ivit, unà cum pane quoque corpus Christi manducandum ore discipulis datum fuisse?* Ex Evangelistarum verbis, *accepit panem, egit super eo gratias, fregit & dedit, panem discipulis datum esse probamus.* Præter panem verò
R
vel

vel unâ cum pane, corpus Christi quoque ore manducan-
dum datum ipsis fuisse, probamus ex verbis Domini, ac-
cipite, comedite, hoc est corpus meum. His enim suum et-
iam corpus se discipulis manducandum dedisse, abundè
testatus est.

CXXXVII. Sextò denique frivolum etiam & futile
est, quod ibidem Vorstius subjicit: Si dixerit, ex ipsis illis
verbis Domini, Accipite, edite, hoc est corpus meum, intelligi
non modò hoc posse, quòd panis & corpus Christi accipi debuerint;
verùm etiam quòd eadem illa à Domino data atque porrecta fu-
erint; si inquam, sic dixerit, contendam ego contra, non ex poste-
rioribus hic priora, sed ex prioribus posteriora intelligenda esse.
Neque enim quisquam nostrum tam fuerit ineptus, ut ex
verbis Domini, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, di-
ceret intelligi hoc posse, quòd panis accipi debuerit, & à
Domino datus fuerit; sed hoc dicimus intelligi posse &
debere ex verbis Evangelistarum antecedentibus, Acci-
pit panem, egit gratias, fregit & dedit. Quod autem ipsum
quoque corpus Christi non modò accipi debuerit, verùm etiam
idem illud à Domino datum fuerit, id demùm dicimus intel-
ligi posse & debere ex verbis Domini, Accipite, comedite,
hoc est corpus meum. Quod enim id accipi debuerit, dicit
verbum accipite expressè. Quod idem datum etiam à
Domino fuerit, eodem implicite significatur. Non enim
Dominus accipere jubeat, nisi id, quod dabat. Quod
verò Vorstius contendit, non ex posteribus priora, sed ex pri-
oribus posteriora intelligenda esse, hunc habet sensum: Ex
verbis Evangelistarum, accipit panem, egit gratias, fregit
& dedit discipulis, quæ in contextu verbis Domini, hoc est
corpus meum, priora sunt, intelligendum esse, non nisi pa-
nem à Domino datum & à discipulis acceptum esse; & ex
his porrò etiam posteriora Domini verba, accipite, com-
edite,

edito, hoc est corpus meum, esse eo intelligenda sensu, qui cum isto priorum præconcepto sensu conveniat, nempe hoc quod Dominus discipulos accipere & comedere iussit, non esse corpus ejus, sed tantum illius signum. Quod quàm frivolum & ineptum sit, & quàm proclivem aperiat viam ad nullas non hæreses incrustandas, ostensum est supra n. CXXIX. & seq.

CXXXIIIX. Finitâ hâc, quam membratim hæctenus excusimus, objectione decretum fuit Vorstio, Protestantes tandem dimittere, & cum Pontificiis congregari: quamvis ut eos dimitteret, nec dum impetrare à se potuerit. Postquam enim, commemorato transubstantiationis Pontificiæ commento, dixerat: *Et cum his (Pontificiis) quidem decretum jam est nobis congregari;* continuo sententiâ mutatâ subjungit: *Ante tamen redarguendi amplius sunt priores illi, Lutherani scilicet.* Nisi fallor inter ipsam commemorationem commenti Pontificii incidit ei nova objectio, quâ Lutheranos redargui amplius posse opinatus est, eaque ita ipsi plausibilis visa est, ut non premendam, sed potius, dum proferretur, congressum cum Pontificiis tantisper differendum duceret. Illa verò habet ita: *Verba Evangelistæ, Dedit panem, & verba Domini, accipite, comedite, Hoc &c. in historia Evangelica valdè propinque sibi sunt, & una eorum continuo altera excipiunt.* Quod magno sanè argumento est, ad voces *Accipite, comedite, eundem accusativum panem, & præter hunc nullum alium, subaudiendum esse: & pronomen Hoc itidem ad nihil aliud, quàm ad panem pertinere.* Hoc cum extra dubium positum esse credat, porrò ita redarguere Lutheranos incipit: *Ad verba, Accipite, comedite, quidnam illi (Lutherani) subaudiri volunt? Accusativum unum, panem; an verò simul & alterum accusativum corpus Christi? Si subaudiri utrumq;*
R 2
volunt,

volunt, oratio Domini plenè sic habebit, Accipite, comedite hunc panem & simul corpus meum. Quæ si ipsius Domini mens fuit, minùs plenè profectò scripserunt sancti Evangelistæ, quòd tantùm scripserunt, Dominum discipulis panem dedisse, & oportuit omninò ipsos aliquid adjicere, quòd videlicet Dominus ipsum quoque corpus suum simul dedisset &c.

CXXIX. Hæ Vorstius: leviora sanè, quàm quæ à decreto & jam incepto congressu cum Pontificiis eum revocare, & ad redarguendos amplius Lutheranos permovere debuerint! ad quæ proinde respondemus, verba Evangelistæ, *Accepit panem, egit gratias, fregit & dedit discipulis*; & verba Domini, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum*, esse utique in historiâ Evangelicâ sibi valdè propinqua, & una eorum excipere altera continuò: neque tamen hoc magno, imò ne parvo quidem & leviculo esse argumento, quòd ad voces, *Accipite, comedite, accusativum panem, & præter hunc*, nullum alium subaudiri oporteat. Quia enim, fatente Vorstio, non utraque unius Auctoris, sed altera Evangelistæ, altera Domini verba sunt, non sanè utraque simul prolata, aut semper sibi ita propinqua fuerunt, ut una eorum continuò altera exciperent, sed quæ Domini sunt, in primâ Cœnâ sola absque alteris additis rosata sunt. Evangelistæ enim historiam Evangelicam aliquot annis post demum contexuerunt, & verba, *Accepit panem, egit gratias, fregit eum & dedit*, de suis adhibuerunt, ut quæ acta à Domino in primâ Cœnâ fuerint, exponerent. Quomodo igitur, quem accusativum ad verba Domini, *accipite, comedite*, subaudiri oporteat, ex verbis Evangelistarum, *Accepit panem, fregit eum & dedit*, intelligi; vel quòd accusativum panem, & præter hunc nullum aliam ad ea subaudiri oporteat, hoc quòd in historiâ Evangelicâ verba utraque sibi valdè propinqua

pinqua sint, levi saltem argumento esse potest: cum tamen nulla cum consignata esset historia Evangelica, cum verba, *accipite, comedite*, à Domino proferrentur, & quem accusativum ad ea subintelligi oporteret, discipuli intelligerent. Nobis verò verba Domini, *Accipite comedite*, in historià Evangelicà legentibus, non alius subaudiendus venit accusativus, quam qui in primà Cœnà discipulis Domini veniebat subaudiendus, cum illa à Domino proferri audirent; & sicut hi non ex verbis Evangelistarum, *Accipit panem*, accusativum panem subaudiebant: nondum enim, uti dictum, verba illa extabant, ita nec ut nos in consideratione verborum Domini ad illa mentem reflectamus, & quem accusativum subaudire conveniat, inde dignoscamus, necessarium est, ut ut nunc in historià Evangelicà *verba utraque sibi valdè propinqua sint, & una eorum continuò altera excipiant.*

CXL. Quærenti igitur Vorstio, quidnam nos ad verba, *Accipite, comedite*, subaudiri velimus? *Accusativum unum, panem; an verò simul & alterum accusativum corpus Christi?* respondemus, neutrum accusativum ita determinatè & distinctè nos subaudiri velle. Non accusativum *panem*: quia voces *accipite, comedite*, vox *panis* in verbis Domini nec antecedit, neque consequitur. Non etiam accusativum *corpus Christi*: quia licet voces, *corpus meum*, in verbis Domini extent, non tamen cum verbis *accipite, comedite*, sed cum voculâ *hoc* illæ cohærent. Quod autem verba, *accipite, comedite*, proximè in illis sequitur, est pronomen *hoc*, idque sequitur ea ita, ut, docente & prolixè inculcante Vorstio, illa referat, atque eandem habeat vim, quam habent verba: *Quod accipere & comedere vos volo.* Quemadmodum igitur nominativus pronominis demonstrativi *hoc*, dicente Vorstio, refert verba:

R 3

accipere,

accipite, comedite, ita vicissim verba, *Accipite, comedite*, regunt ejusdem pronominis casum accusativum, non, quidem expressum, sed subaudiendum, hoc sensu: *Accipite, comedite HOC*, puta, quod vobis porrigo. Nam verba hæc, *Accipite, comedite*, dicta sunt à Domino, cum panem, super quo egerat gratias, porrigeret, & subaudiendum reliquerunt accusativum pronominis, quo illud ipsum, quod porrigebatur, demonstraretur. Quia autem non totum, quod porrigebatur, sensibus obvium erit, Dominus id quod latebat, declaraturus, adhibitâ itidem voculâ demonstrativâ *hoc*, subjecit: *Hoc* (quod vobis de, & quod vos accipere & comedere jubeo,) *est corpus meum*, id quod unâ cum pane dabatur & latebat, in casu recto designans, perinde ut in locutione vulgari, qui porrecto vase *accipe*, dicit, *bibe*, & subjicit: *hoc est vinum*, illud, quod latet in vase, in casu recto designat, idque quidnam sit, declarat, altero, jam sensibus obvio & noto, in prædicato non expresso. Accusativus igitur, qui ad voces, *Accipite, comedite*, subaudiri debet, ejusdem est pronominis, cujus nominativus est, qui eas proximè sequitur. Quod alibi Vorstius, rei evidentiam convictus, fateatur. Scribit enim lib. I. cap. VII. *Dissert. Sacr. pag. 135.* apertis verbis: *Quod dixit Dominus, Accipite, comedite, perinde esse, ac si dixisset, Volo ego atque jubeo vos accipere atque comedere Hoc.* Plena proinde oratio Domini est hæc: *Accipite, comedite HOC*, puta quod vobis porrigo. *HOC* (quod vobis porrigo) *est corpus meum.*

CXLI. Ex his non sequitur, sanctos Evangelistas minùs plene scripsisse, cum scripserunt, Dominum accepisse panem, egisse super eo gratias, fregisse eum, & dedisse discipulis, dicentem, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Scripserunt enim historicè, quæ viderant & audiverant, vel ab aliis

aliis visa & audita esse acceperant, ut supra dictum, & scripserunt ea ita plenè, ut in illorum narratione quod desiderari possit, non appareat, nisi illud forsan quis desideraverit, quod scripserunt, Dominum *egisse gratias*, nec tamen ipsam formulam gratiarum actionis subjecerunt, quod tamen *Vorstius* non desiderat, neque ut formula gratiarum actionis adjiceretur, ad plenam illorum scriptiorem hinc requirit. Cætera sanè planè satis scripserunt, quæ in primâ Cœnâ à Domino agi & dici viderant & audiverant. Viderant eum *accipere panem, frangere illum & dare discipulis*; audiverant eundem *agere gratias super pane, & cum eum discipulis daret, dicere: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Quæ profectò omnia perspicuè complexi sunt, cum scripserunt, Dominum *accepisse panem, egisse gratias, frangisse eum & dedisse discipulis*, dicentem, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Ut autem scriberent, Dominum *unà cum pane dedisse etiam suum corpus*, non pertinebat ad plenam illorum scriptiorem, neque etiam ut scriberent, Dominum dixisse, *Accipite, comedite hunc panem & simul corpus meum.* Non illud: quia Dominum *unà cum pane corpus suum dare* non viderant. Non enim modo visibili illud dedit. Neque hoc: quia non audiverant hæc à Domino dicta verba: *Accipite, comedite hunc panem, & simul corpus meum.* Neque etiam, ut post verba, *accipite, comedite, voces hunc panem & simul corpus meum*, ipsi de suo adderent, ad plenam illorum scriptiorem requiri poterat. Præterquam enim quod propositum ipsi erat audita & visa referre, non suâ commentatione quæ audiverant & viderant, declarare, contextus etiam verborum, à Domino prolatorum, non patiebatur, ut vel unus accusativus *panis*, vel alter etiam *corpus Christi*, adderetur. Qui enim eum rectè consideraverit, facile

facile intelliget, accusativum pronominis demonstrativi subaudiri, quem proinde non addiderunt, sed subaudiendum reliquerunt.

CXLII. At, inquit quis, hoc ipso quod dicitur, accusativum pronominis demonstrativi *HOC* subaudiendum esse ad verba, *accipite comedite*, ad mittitur, accusativum *panem* esse ad ea subaudiendum. Nam pronomen *Hoc* geret utique vicem nominis, non certe alterius, quam rei, eo demonstratae. Res autem, eo demonstrata, est *panis*, juxta illud Evangelistae: *Accipit PANEM &c.* Ergo nominis *panis* vicem geret, & consequenter, *accipite, comedite hoc*, idem erit, atque *accipite, comedite hunc*, (quem monstro & porrigo) *panem*.

CXLIII. Respondemus, pronomen demonstrativum cum sine substantivo solum in genere neutro ponitur, praeterquam quod vim demonstrandi habet, induere etiam vim nominis, nec tam gerere vicem alterius cujusdam nominis, quam ex suaapte vi significandi aequivalere nomini, *res*, ut *hoc* idem notet, atque *haec res*. Quam in re *Vorstius* nobis facile, puto, suum adjiciet calculum, qui *l. I. Dissert. Sacr. cap. VI. pag. 120.* ultrò scribit: *Sunt istae voculae, hoc, DAS / pronomen quoddam demonstrativum, solentque nominibus plerumque adjici. Deinde verò nullum subinde nomen sibi adjunctum habent. Quod cum ita sit vim tamen involvunt cujusdam nominis, quod notionem quandam valde generalem denotet. Exempli gratia, quod dicitur, HOC est vinum HOC est saccharum, non aliud est, quam si dicas, HAEC RES est vinum, HAEC RES est saccharum. Et seq. pag. 121. Vocula HOC in talibus, ut dixi, nihil est aliud, quam HAEC RES: & comprehendit ad id notionem valde generalem. Et quia hic in Domini verbis ad voces accipite, comedite, praedictum in modum in neutro genere sine substantivo subauditur,*
non

non sanè nominis *panis* vicem geret, ut sensus sit, *accipite, comedite PANEM, quem vobis porrigo*, sed idem denotabit, quod *hæc res*, hoc sensu: *accipite, comedite HANC REM, quam vobis porrigo*.

CXLIV. Quanam vero *hæc res* sit; *panis*? an *corpus Christi*? an *utrumque*? alia quæstio est. Si verba Domini subsequenter, *hoc est corpus meum*; non adessent, nemo, puto, aliter dicturus esset, quàm *rem hanc accipiendam & comedendam esse panem*, nec aliud quicquam, idque ob præcedentia verba: *Accipit panem, egit super eo gratias, fregit & dedit eum discipulis suis*. Post hæc enim sequuntur statim verba; *Accipite, comedite*, scilicet *HOC*: quibus sanè hoc ipsum Dominus accipere & comedere iussit, quod dedit; vi verborum autem jam allegatorum *panem* dedit, super quo egerat gratias. Quia autem sancti Evangelistæ illud in super commemorant, Dominum, cum dixisset, *accipite, comedite*, scilicet *HOC*, quod vobis porrigo, continuo subiecisse: *HOC EST CORPUS MEUM*, id est *hæc res*, quam vobis porrigo, *est corpus meum*; statuere non possumus, rem illam, voculâ *Hoc* designatam, tantum esse *panem*. Obstat enim in verbis adjectis, *hoc est corpus meum*; prædicatum, *CORPUS MEUM*, quod *rem hanc*, voculâ *HOC* designatam, ipsum Domini corpus esse declarat. Novimus autem ex consuetudine loquendi, usu receptissimâ, quòd quodocunq; aliud ad sensum monstratur aut porrigitur, aliud verò, sensibus non æquè obvium, verbis adjectis monstrari aut porrigi declaratur, id quo ad sensum monstratur ac porrigitur, sibi conjunctum & unitum habeat alterum, quod licet sensibus non ita obvium, monstrari tamen aut porrigi verbis subjectis declaratur. Sic, ut crassis & è vulgari usu petitis utamur exemplis, cum monstrato aut porrecto vase dicitur, *accipe, bibe, hoc est vinum,*
S
quam-

quamvis solum vas sibi monstrari aut porrigi alter videat, ex verbis subjectis tamen, *hoc est vinum*, non vas vacuum, sed in illo etiam vinum sibi monstrari aut porrigi, oppidò intelligit: & cum monstrato marsupio dicitur alteri, *hoc est aurum*, licet solum marsupium sibi monstrari alter videat, ad verbis adjectis tamen, *hoc est aurum*, aurum marsupio inesse, intelligit. Et quia in primâ Coenâ Dominus etiam aliud discipulis ad sensum dabat, & aliud à se dari verbis adjectis declarabat: *Panem enim sumserat, & panem dabat*, sensibus utique obvium; verbis adjectis autem, *hoc est corpus meum*, suum corpus se dare declarabat, quod tamen dari sensibus non patebat; rectè hinc colligimus, panem visibilem & visibiliter datum habuisse etiam alterum, quòd verbis adjectis dari declaratur, *corpus Christi* scilicet, sibi conjunctum & unitum, atque adeò rem hanc quam vocula *hoc*, cum ad verba *accipite, comedite* subaudita, tum in verbis sequentibus, *Hoc est corpus meum* expressa, designabat, non fuisse panem tantum, sed complexum quid est pane & corpore Christi. Saltem in modo significandi nonnulla diversitas subesse videtur. Cum enim ad verba, *accipite comedite*, vocula *hoc* subaudiat sola sine additamento, quo ad alterutrum unitorum in recto, alterum in obliquo designandum, determinetur, nihil apparet causæ, cur alterum in recto, in obliquo alterum denotare dicatur, sed benè potest utrumque æqualiter denotare. In verbis alteris autem, *hoc est corpus meum*, eadem expressa adjectum habet prædicatum, *corpus meum*, quo ad unum unitorum tantum corpus Domini scilicet, in casu recto designandum restringitur, altero, pane scilicet, saltem in obliquo connotato, ut suprè pluribus docuimus.

CXLV. In usu vulgari, cùm aliquid ad sensum monstratur, aut exhibetur, aliud verbis adjectis monstrari vel exhiberi declaratur, rem ita, ut diximus, habere, *Vorstius* concedit; contendit autem, cum verbis Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, rem haud paulò aliter habere. Sed, inquit, fatendum tamen, rem haud paulò aliter habere. Si monstrato dolio in quo est vinum, dicatur, hoc est vinum, nemo magnoperè mirabitur, aut hæsitabit, quòd non ignotum neque insolens sit, in vasis istiusmodi vina asservari. At, cùm porrecto pane *Christus* dixit, Hoc est corpus meum, non tam proclive fuit cogitare, quòd isti pani quem *Christus* porrigebat, ipsum ejus corpus junctum atque unitum esset. Et multò adhuc minus cogitari potuit, quòd corpus *Christi* in pane, ut in vase quodam, esset. Verba extant lib. I. *Dissert. cap. VI. pag. 124. seq.*

CXLVI. Verum ut ab ultimis auspiciemur verbis, corpus *Christi* esse in pane, ut in vase, non nostra doctrina, sed adversariorum, eam nobis affingentium, calumnia est. Quòd minimè latere *Vorstium* potuit: cùm in Ecclesiis nostris educatus, inque Scholis & Academiis nostris ad adultam usque ætatem in Christianâ, quam profitemur, doctrinâ eruditus fuerit. Unde si eum, quem verbis præ se fert animum, à libidine calumniandi scilicet alienum, reapse nobis probare voluisset, ab ista notoria & toties à nostris profligata calumnia hîc cùm nostram recenseret & impugnaret doctrinam, abstinere meritò debuisset. Cætera si quicquam, hoc saltem evincunt: cùm ostenso dolio dicitur, *hoc est vinum*; & cùm *Christus* porrecto pane consecrato, dixit, *hoc est corpus meum*, ex parte materiæ subjectæ non levem utrinque intercedere diversitatem. Quòd enim in dolio asservari vinum soleat, jam ante neque esse ignotum, neque insolens, & proinde auditis verbis,

hoc est vinum, difficile non esse cogitare, in dolio esse vinum. Quod autem *corpus Christi* uniri dicitur cum pane, jam antè ignorum esse & insolens, & proinde verbis, *hoc est corpus meum*, auditis, non esse æquè proclive & facile cogitare, corpus Christi esse cum pane unitum. Quod facilè totum largimur. Inde autem non sequitur, corpus Christi non esse cum pane consecrato unitum, neque sequitur, quòd, cum Christum, pane consecrato porrecto, dixisse legimus, *hoc est corpus meum*, credendum non sit, corpus Christi fuisse cum pane consecrato unitum, & cum eo simul datum: sed hoc tantum, ut diximus, sequitur, quòd corpus Christi cum pane unitum est, & cum eo ad edendum datur, non esse aliquid usitatum & cogitatu facile, sed inusitatum, insolens, & humanæ rationi incomprehensibile, quod proinde non curiosè scrutandum, sed, ratione sub obsequium fidei captivatâ, credendum sit ob Christi, *hoc est corpus meum*, dicentis veracitatem summam, per quam nec falli nec fallere potest,

CXLVII. Atq; ita excussimus etiam illam objectionem, quâ Lutheranos *Vorstius* amplius redarguendos, & quòd verba Domini, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, minus rectè cum istis vulgaribus, *bibe, hoc est vinum*, compararent, convincendos ducebat, eamque frivolum esse vidimus. Superfunt adhuc aliæ duæ, quibus idem obtentum ivit, executiendæ. Una est, quòd, qui eâ comparatione utuntur, in explicatione voculæ *Hoc*, vel potius *rei*, in verbis Domini per eam designatæ, communiter voces *cum pane* adhibeant, & sensum verborum Domini sic exprimant: *Hæc res, quam CUM PANE vos accipere & comedere volo.* Quod principiis Grammaticis adversari opinatur. Supponit autem, voculam *hoc* esse non merè *detinens*, sed simul *relativam*. Quia autem relativorum,
juxta

juxta præcepta Grammatica, ea sit ratio, ut saltem quæ antecedunt, referant; in verbis Domini verò voces *cum pane* voculam *hoc* non antecedant, consequens esse putat, nec voculam *hoc* referre voces *cum pane*, neque eis locum in illius explicatione concedendum. Altera est, quòd, cum ostenso vase dicitur, *bibe, hoc est vinum*, sensus sit, *quicquid te bibere jubeo, est vinum*. Ergo verbo Domini *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, si cum illis vulgaribus rectè comparentur, etiam hunc habebunt sensum: *Accipite, comedite, QVICQUID vos accipere & comedere jubeo, est corpus meum*. Quod ipsis repugnat Lutheranis, qui non totum, quod Dominus accipere & comedere jussit, corpus ejus, sed etiam panem esse docent.

CXLIX. Priorem objectionem urget *Vorstius lib. I. Dissert. c. VII, pag. 133 seq.* contra Doctissimum *Calixtum*, qui in *Animadversionibus in Confessionem Reformatorum*, *Thorunii* exhibitam, verba Domini: *Hoc est corpus meum*; ita interpretatus fuerat: *Hoc, quod scilicet præter panem, cujus presentia indicio non eget, cum pane tamen & mediante pane accipitur & comeditur, est corpus meum*. Contra eum *Vorstius*: *Viden, inquit, voculae Hoc, eam explicandi causâ, aliquid illum adjicere? Hoc, inquit, quod scilicet præter panem, cum pane tamen, & mediante pane accipitur & comeditur. Verba Domini habent sic: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Et diximus nos, voculam Hoc in iis verbis referre ac representare voces, quæ antecedunt, Accipite, comedite. Atque ita apparet & Calixtum statuisse. Cum enim verba Domini, hoc est corpus meum, illustrare voluit, ipsam voculam Hoc illustravit iis vocabulis, quæ in sermone Domini antecedunt. Hoc, inquit, quod scilicet accipitur & comeditur. — Sed verba Domini ille non modò sic illustrat, ut voculam Hoc verbis quod accipitur & comeditur.*

§ 3

inter

interpretetur; sed "surpat præterea pronomeis præter panem, cum pane tamen, & mediante pane. Sed quis hoc credat, voculam Hoc non modo referre s' Quod accipitur & comeditur; sed referre ac præsentare præterea pronomeis præter panem, & cum pane? Si dixisset Dominus, Accipite, & comedite aliquid præter hunc panem, & cum hoc pane. Hoc est corpus meum; si, inquam, Dominus sic dixisset, statuendum sanè foret, voculam Hoc referre ac representare universa illa, quæ Calixtus volebat. At pronomeis præter panem & cum pane, ipse Dominus non usurpavit, nec vocula Hoc præmisit eas; sed dixit modò, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum. Quare patet, voculam Hoc in verbis Domini non referre ac representare omnia ea quæ Calixtus volebat &c. Prolixius hæc persequitur in Epistolâ 1. ad Dn. D. Titium, pag. 63. & seqq. usq; ad p. 69. Ubi periphrasin, quam ad voculam hoc is adjecerat (quod cum pane vobis porrigo) falsè ridet & exagitat. Inter alia inquit pag. 66. Sanè vocum harum ne ulla quidem pronomen Hoc in verbis Domini antecedit. Et primò quidem non antecedit vox porrigo. Non dixit Dominus, Porrigo vobis aliquid. Atque hoc est corpus meum; sed dixit, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum. Deinde nec voces cum pane antecedunt. Non dixit Dominus, Porrigo vobis aliquid cum pane. Atq; hoc est corpus meum; sed dixit, accipite comedite. Hoc est corpus meum &c. Tandem pag. 69. in hæc definit verba: Quoniam verò illæ quas dixi voces pronomen relativum non antecedunt, idem pronomen eas voces nec referre potest; neque hæc, ut tu vis, ad idem illud subaudiri possunt. Ita quidem ipsa principia Grammatica requirunt. Et contra hæc ipsa sentire nos jubet, Titii, dum ad pronomen Hoc subaudiri vis tot voces, quarum ne ulla quidem pronomen istud antecedit. Monebis igitur Grammaticos, ut post hæc rectius sapiant, atque, ubi de pronomibus relativis agunt,

agunt, etiam hoc adjiciant, quod pronomina relativa non tantum referant ac representent voces, quae ipsa antecedunt; sed etiam quae eadem non antecedunt, imò quod etiam fieri possit, ut voces quae pronomem relativum antecedunt, prorsus negligantur, atque subaudiuntur merae voces alienae. Ceterum dum à Grammaticis tu hoc obtineas, adhaerebam ego tantisper praeceptis antiquis; nec ante desinam contendere, eas voces quas pronomini relativo Hoc in verbis Domini interpretandi causâ adjectisti tu, puta, Quod cum pane vobis porrigo, Quod cum vino benedicto in poculo vobis porrigo, temerè prorsus atque frivole adjectas esse. Eadem in paginâ 193. & sequentibus plerisque omnibus repetit, & ad nauseam usque inculcat. Quae proinde diligentius expendenda veniunt.

CXLIX. Ea verò, rite expensa, nobis ita videntur esse levia, ut ipsis toties jactatis principiis Grammaticis è diametro adversentur, tantum abest, ut quicquam in illis praesidii habeant. Et primum quidem principiis Grammaticis adversatur, quòd dicitur, voculam hoc in verbis Domini referre voces *Accipite, comedite*. Fac enim, eam esse hic relativam, quod tamen falsò dici, postea ostendemus: quae Grammatica praecepta docent; pronomina relativa referre ac representare voces quaslibet, quae ea antecedunt, etiam ipsa verba? Pronomina sive vicaria nomina sunt, & nominum gerunt vicem, non verborum. Unde nomina tantum referunt, non verba, verbaliter posita. Verba, inquam, verbaliter posita. Nonnunquam enim verba adhibentur loco nominum, ut cum dicitur, *scire tuum nihil est; scire tuum* ponitur pro *scientia tua*. Quod cum contingit, relativum quidem referre verbum potest, non tamen quatenus tale, sed quatenus nominis vim & locum sustinet: v. g. si dicam, *scire tuum, QVOD, nisi te scire, sciat alter, nihil est, tum demum magni aestimandum*

dum erit, cum, quæ scis, alios etiam scire feceris; relativum *QUOD* referet quidem verbum *scire*, non tamen in quantum verbum *est*, sed in quantum nominis vim habet, & idem, quod *scientis*, valet. Sed hæc ad præsens nihil faciunt. Nam, cum dixit Dominus, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, verba *accipite, comedite*, quæ voculam *hoc* antecedunt, non nominum vim & locum sustinent. Si enim omnem illorum vim excufferis, non tamen inveneris, quæ sensu manente eodem, ea in nomina resolves, aut in locum voculæ *hoc*, quæ referri dicuntur, eadem substituas. Sunt verba imperativi modi, & per hoc connotant jussionem. Sunt verba secundæ personæ pluralis numeri, & per hoc includunt pronomen plurale secundæ personæ *VOS*, ut idem valeant, quod *jubeo vos accipere, jubeo vos comedere*. Sive autem nudè, sive cum additis hisce connotatis sumta in locum voculæ *Hoc* substituas, sensus verborum Domini *hoc est corpus meum*, nullus aut absurdus erit. Nudè substituta hanc parient orationem: *Accipite, comedite, est corpus meum*; cuius nullus est sensus, nisi fortè verba, *accipite, comedite*, materialiter accipi velis, ut ipsæ voces, *accipite, comedite*, dicantur corpus Christi: & tum sensus absurdus erit. Sin eadem in sua connotata resoluta, substituas, hæc proveniet oratio: *Jubeo vos accipere, jubeo vos comedere, est corpus meum*; cuius perindè, ut alterius, nullus vel absurdus sensus fuerit.

CL. Quod verò *Vorstius* illis, in sua connotata resolutis, etiam relativum *Quod* superaddit, & in locum voculæ *Hoc*, quæ sequuntur, *Quod vos accipere & comedere volo*, substituit, id quo jure fiat ab ipso, in periphrasi voculæ *Hoc*, nihil nisi quod in verbis Domini eam antecedit, admissuro, non equidem assequor. Neque enim

VOCU-

vocula *Quod* expressè aut implicite, actu aut virtute, illam antecedit. Quæ enim actu & expressè illam antecedunt, sunt tantum duæ voces, *Accipite, comedite*. Quæ virtute & implicite illam antecedunt, sunt connotatæ in illis voces *vos & jubeo* sive *volo*. Ipsum relativum *Quod* neque verbum *accipite*, neque verbum *comedite*, includit aut connotat.

CLL. Quid ergo? Si quid in verbis Domini vocula *Hoc* referret, accusativum certe, qui ad verba *accipite, comedite*, subauditur, referret. Præter hunc enim nullum antecedit nomen, quod referre possit. Sed ne hunc quidem referre potest. Neque enim alterius cujusdam nominis, quod referre possit, sed ejusdem pronominis demonstrativi accusativus ad eo subauditur, ut docuimus. Idem verò pronomen demonstrativum *hoc* referre semetipsum, adversatur ipsi relativorum naturæ & indoli, quæ est, ut alia, quorum vicem gerunt, referant. Cum ergo nihil ostendi possit, quod in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, vocula *Hoc* referat: non enim refert voces, *Accipite, comedite*, neque voces iis connotatas, *volo* seu *jubeo vos*, sive sigillatim, sive unâ cum illis junctim sumtas, neque denique accusativum *HOC*, qui ad verba, *accipite, comedite*, subauditur; consequens est, voculam *hoc* in illis esse merè demonstrativam, non simul relativam.

CLII. Hinc secundo patet, falsum etiam esse, quod in superiori Vorstii objectione dicebatur, & tanquam certum sumebatur, voculam *hoc* in verbis Domini non esse merè demonstrativam, sed simul relativam. Cujus præsuppositi falsitatem loquitur etiam res ipsa. Vocula demonstrativa enim tum merè demonstrativa est, cum simpliciter in rem præsentem fertur, eamque repræsentat sine ullâ relatione ad aliud, quo prius ipsa significata fuerit, tum

Tunc nomen

nomen antecedens, ut ex ipsis terminis constat. Hunc in modum autem vocula *hoc* in verbis Domini, cum subaudita ad voces; *accipite, comedite*, tum expressa in verbis, *hoc est corpus meum*, ferebatur in rem præsentem nempe in *panem*, & quod cum eo unitum erat, ut sine ullâ relatione ad aliud antecedens nomen, quo prius significata fuerit, illam repræsentaret. Et eodem modo fertur ea adhuc hodieque in rem præsentem, *panem* Eucharistiæ scilicet, quando- cunque Sacerdos Cœnam Sacram in Christi persona celebrat, & verba institutionis super *pane* pronunciat. Ergo vocula *hoc* in verbis Domini est merè demonstrativa, & unam numero rem bis demonstrat, semel subaudita ad voces, *accipite, comedite*, & iterum expressa in verbis, *hoc est corpus meum*.

CLIII. Non nos quidem latet, nonnullos Theologos esse quandoque ita locutos, ut in verbis, *hoc est corpus meum*, pronomen demonstrativum *hoc* referendum dicerent ad antecedentia; *accipite, comedite*: sed illorum mens, quod sciam, non fuit hæc, quòd vocula *HOC* in illis propriè vim habeat pronominis *relativi*, ut *Vorstius* contendit, & præcepta Grammatica de relativis sæpius crepat, sed hoc unum significare voluerunt, voculam *HOC* in verbis his, *hoc est corpus meum*, referendam esse ad eandem rem, sive demonstrare eandem rem de qua verba, *accipite, comedite*, loquuntur, & quam accusativus ejusdem pronominis, ad illa subauditus, demonstrat. Atque hoc docuerunt ita ad excludendum *Carolo-stadii* commentum, quo voculam *hoc* non referendam contendebat ad id, quod Dominus *accipite, comedite*, inquiens, *accipere & comedere* jubebat, h. e. ad *panem*, super quo actæ fuerant gratiæ, sed ad ipsum *mensæ assidens visibile Christi corpus*. Quo de commento illius prolixè differentem idque solidè impugnantem videas

deas

deas Lutherum in libro contra cœlestes Prophetas, parte alterâ, fol. m. 63. b. seq. & alibi. Breviter, idem, quoad rem, illi significârunt, quòd hos modò diximus: nempe voculam *hoc* in verbis Domini, *hoc est corpus meum*, non aliam, sed illam ipsam demonstrare rem, quam ad verba præcedentia, *accipite, comedite*, subaudita demonstrabat.

CLIV. Tertiò falsum & illud est, quod multopere ingeminat & urget *Vorstius*, in explicatione voculæ *hoc* non alias adhibendas esse voces, quàm in verbis Domini eam antecedant. Quamobrem enim has tantùm, quæ eam antecedunt, adhibere conveniat? An quòd *relativa* non referant, nisi quæ antecedunt? At verò voculam *hoc* in verbis Domini non esse *relativam*, sed tantùm *demonstrativam*, jam liquidò ostendimus. Et si *relativa* esset, non tamè tantùm *relativa*, sed simul etiam *demonstrativa*, imò magis *demonstrativa*, quàm *relativa* esset. Quidnî ergo etiam à re demonstratâ sive à materiâ subjectâ, quæ per illâ demonstratur, & iis, quæ ipsam circumstant aut constituunt, petere illius periphrasin liceret? Circumstant autem materiam subjectam plura, quàm quæ vocibus, ipsam antecedentibus, continentur. Nam quæ antecedunt, sunt verba *accipite, comedite*, mandatum accipiendi & comedendi denotantia. Præter hoc autem mandatum concurrebant, ex parte materiæ subjectæ, aliæ etiam actiones Christi, quòd eam Dominus *sumserat* in manus, quòd *egerat gratias* super illa, quòd *fregerat* illam, & quòd eandem *porrexerat* sive *dederat* discipulis: quarum aliæ ad materiam terrenam tantùm, aliæ ad cœlestem etiam, atq; adeò ad totum complexum pertinebant. Ad materiam terrenam tantùm pertinebant, quæ circa panem præcisè Dominus egit, nempe quòd *sumsit* eum, *egit* super illo *gratias*, & *fregit* eum. Ad totum complexum pertinebat actus *porrigendi* seu *dandi*. Post-

T 2

quam

quam enim panis vocationem sive Verbum Dei perceperat, jam non erat panis communis, sed Eucharistia, duabus rebus, terrenâ & cœlesti, constans, docente Irenæo, atque adeò cum daret panem Dominus, totum debet complexum. Atque hæc actiones omnes discipulis tum innotescebant per sensus; nobis autem ex relatione Evangelistarum nunc patefiunt. Quidnî ergo ab hisce etiam, aliquibus vel omnibus actibus, ut & ab eo, quod materiæ subjectæ partem constituit, periphrasin voculæ hoc vel potius rei, eâ designatæ, accersere liceat, ut v. gr. hoc est corpus meum dicatur esse idem, atque hæc res, quam gratis actis jam cum pane vobis porrigo, est corpus meum? Neque enim gratiarum actio & actus porrigendi, ut & ipse panis, materiæ subjectæ alteram partem constituit, minùs ad ejus explicationem faciebant, quàm mandatum accipiendi & comedendi. Imò verò quæ ab illis petitur periphrasis, multò est significantior, quàm altera à Vorstio laudata, quæ à solo mandato accipiendi & comedendi desumitur, ut ut hujus voces pleræq; voculam hoc in verbis Domini antecedant, illius non item. Nisi enim ex sensum testimonio discipulis jam tum constitisset, Dominum accipite panem, egisse super eo gratias, fregisse eum, & tum illum dedisse, cum diceret, accipite, comedite: ex his verbis, accipite, comedite, vel ex hac ab illis petitâ periphrasi, Quod vos accipere & comedere volo, nunquam quid rei voculâ Hoc Dominus designaret, intellecturi fuissent. Neque nunc nobis id constare ex his posset, nisi illa priora ex narratione Evangelicâ jam cognita haberemus. Benè autem id constare illis potuisset ex eo, quòd sumserat Dominus panem, egerat super eo gratias, fregerat eum, & dederat discipulis, dicens, hoc est corpus meum, licet voces accipite, comedite, voculæ hoc non fuissent præmissæ; & nobis, eadem ex narratione

Evange-

Evangelicâ perspecta habentibus, innotescere idem absque verbis, *accipite, comedite*, posset. Causa est, quòd periphrasis ab actu *porrigendi, & pane*, super quo acta sunt gratiæ, tanquam alterâ parte materiæ subiectæ, desumpta, per se sola & præcisâ aliis omnibus designat rem certam, cujus pars discipulis jam tum per sensus innotuerat, & nobis ex relatione Evangelistarum nunc innotescit. Altera verò, à *mandato accipiendi & comedendi* petita, per se sola & præcisâ aliis omnibus, nullam rem certam & determinatam designat. Quæ enim ut *acciperent & comederent* discipuli, jubere Dominus poterat, multa & varia esse poterant, ut hâc periphrasi: *Quod accipere & comedere vos jubeo*, noster intellectus non æquè in rei determinatæ notitiam deduci possit, sicut auditâ hâc periphrasi, *Quod vobis, gratis jam actis, porrigo*; deducebatur in notitiam *hujus panis*, quem Dominus, discipulis spectantibus, sumserat, & gratis actis dabat; ipso visu quod ex parte verborum deest, supplente, idque, quod gratis actis dabatur, panem esse attestante. Quod si etiam altera materiæ subiectæ pars, *panis* scilicet, in periphrasi adjiciatur, & quidem in casu obliquo cum præpositione, hunc in modum: *Quod vobis, gratis jam actis, cum pane porrigo*; ut communiter fieri à nostris solet, periphrasis adhuc significantior erit, eaque insinuabitur, aliud quid esse cum pane isto unitum, & dari unâ cum illo, ita quidem, ut de ipso in casu recto prædicatum, *corpus meum*, affirmetur: sicut & altera à Vorstio usurpata periphrasis, *Quod accipere & comedere vos volo*, significantior fuerit, si voculæ, *cum pane* ei insertæ fuerint, hoc modo: *Quod tum hoc pane vos accipere & comedere volo*. Hâc enim insinuabitur, id quod Dominus *accipere & comedere* discipulos volebat, includere hunc panem, quem sumserat, & gratis actis dabat, & præter eum

aliud quid, cum illo unitum, & hoc quidem designari in casu recto; illum in obliquo. Quod ad notitiam voculae hoc explicandam sufficere potest. Ejus enim, quod cum pane unitum est, naturam praedicatum, corpus meum, declarat, neq; ut in explicatione subjecti ea exprimatur, necessarium est. Quamobrem verò panem in obliquo cum praepositione; alterum autem, quod cum eo unitum est, in casu recto poni oporteat, causam reddidimus supra n. CXLIV. ubi videas.

CLV. Hisce ita habentibus, pater oppidò, nihil ad rem facere, quod Vorstius in locis & verbis, supra adductis, multà cum contentione objiciebat, & operosè urgebat, vocum harum, Quod cum pane vobis porrigo, ne ullam quidem pronomen HOC in verbis Domini antecedere. Non dixisse Dominum, PORRIGO vobis aliquid; neque dixisse, porrigo vobis aliquid CUM PANE; & quoniam illae voces pronomen HOC non antecedant, nec idem pronomen referre eas, vel hac subaudiri ad illud posse. Non enim nos periphrasi hanc, Quod cum pane vobis porrigo, utimur, quòd voces, eà comprehensae, voculam HOC in verbis Domini antecedant, vel hac illas referat: sicut nec in hac à Vorstio usurpatà periphrasi, Quod vos accipere & comedere volo; voces eà comprehensas ullas refert, quamvis quaedam illarum eam antecedant, uti ostensum; sed quòd rem, voculà hoc designatam, per ea, quae ipsam circumstant, aut constituent, convenienter explicet, eamque intellectui clariùs, quam quae à solo mandato accipiendi & comedendi desumitur, repraesentet. Unde nihil causae est, cur nos Vorstius monere jubeat Grammaticus, ut post hanc rectiùs sapiant, atq; ubi de pronomibus relativis agunt, etiam hoc adjiciant, quod pronomina relativa non tantum referant ac repraesentent voces, quae ipsa antecedunt; sed etiam quae eadem non antecedunt, imò quod
etiam

etiam fieri possit, ut voces quæ pronomen relativum antecedunt, prorsus negligantur, atque subaudiantur mere voces alienæ i cum, ut dictum, hîc in verbis Domini vocula *Hoc* non sit pronomen relativum, sed merè demonstrativum. Potius monendus est *Vorstius*, ut hisce puerilibus nugis missis, posthac rectius sapiat, & tandem agnoscat, pronomen *HOC* in verbis Domini non esse relativum, sed tantum demonstrativum, ad cuius notionem explicandam non modò voces, quæ illud antecedunt, sed etiam quæ idem non antecedunt, rectè adhibeantur: imò agnoscat etiam fieri posse, ut voces, quæ illud antecedunt, in explicandâ ejus notione, prorsus negligantur, & voces mere alienæ adhibeantur, modò rem eo demonstratam, per aliqua nobis notiora explicent, & intellectui repræsentent. Neque enim ad explicandam pronominis demonstrativi notionem plus Grammatici aut Logici requirere possunt. Quin *Vorstius* moneat Grammaticos, ut posthac rectius sapiant, atq; ubi de pronomibus relativis agunt, etiam hoc adjiciant, quòd pronomina relativa non tantum referant ac repræsentent nomina, quæ ipsa antecedunt, sed ipsa etiam verba, verbaliter posita, qualia sunt accipite, comedite. Ceterum, dum ille à Grammaticis hoc obtineat, adherescemus nos tantisper præceptis antiquis: nec ante desinemus contendere, pronomina relativa esse nomina vicaria, & suapte naturâ referre nomina, non verba, ut talia, atque adeò voculam *hoc*, si vel maximè in verbis Domini relativa esset, non tamen verba, accipite, comedite, referte atque repræsentare posse. Sed plus satis de priore *Vorstii* objectione.

CLVI. Altera ejus objectio occurrit in *Epistolâ ad Warnerum Freund* pag. m. 52. Verba habent ita: *Sive dicas, ut tu vis, Quod exhibetur ex hoc poculo, id est sanguis meus: sive dicas, quod est in hoc poculo, id est sanguis meus,* stabilis plenissimè opinionem Pontificiorum, neque removere

egm

eam à te potes. Quid enim? Qui ait, Quod est in poculo, id est vinum, annon ille vult, quicquid est in poculo, id esse vinum? pari modo, qui dicit, Quod est in hoc poculo, id est triticum, is nihil vult aliud, quàm omni illud quod est in poculo, esse triticum. Non aliter ergo, si tu dicas, Quod ex hoc poculo exhibetur, id est sanguis Christi, vel ut ego verba concinnabam, Quod est in hoc poculo, id est sanguis Christi, intelligendum est planissimè, quicquid est in poculo, id esse sanguinem Christi, & nihil aliud, quàm sanguinem Christi in poculo esse. Atque ita Pontificii habent, quod volunt. Non contendunt illi, in poculo esse vinum; sed putant, quicquid est in poculo, id esse sanguinem Christi. Prolixius hæc urget in Epistolâ I. ad Dn. D. Titium, pag. 347. & seqq. & in Epistolâ II. pag. 132. seqq.

CLVII. Non equidem negaverim, hîc intercedere non nihil diversitatis inter verba Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, item, bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus; & ista vulgaria, bibite, hoc est vinum.* Nam qui in usu vulgari, ostenso aut porrecto poculo, dicit, *hoc est vinum*, is sanè quicquid bibere jubet, vinum esse significat. Dominus autem, cum porrecto pane; *accipite, dixit, comedite, hoc est corpus meum*, non perinde quicquid accipere & comedere jubebat, suum corpus esse significabit, neque etiam quod porrecto poculo, *bibite*, inquit, *hoc est sanguis meus*, bibere jubebat, totum suum sanguinem esse significabat; cum illic, præter corpus suum, etiam panem, quæ porrigebat, *accipere & comedere*; hic præter sanguinem suum, etiam vinum, quod in poculo inesse sensus docebant, *bibere* iusserit. Verùm differentia hæc non formalis, sed materialis est, quæ ex diversitate materiæ subjectæ, non ex verborum vi & modo significandi diverso provenit. Nam in allato exemplo vulgaris materiæ sub-

ria sub-

liquid ex duobus complexum, & in adjectis verbis, quid detur, declarantibus, verbum, quod voculam *hoc* antecedit, unitorum utriusque commune sit, prædicatum verò non utriusque, sed alterutri tantum conveniat, tum non magis prædicatum de toto complexo, voculam *hoc* denotato, universaliter & in casu recto affirmare licebit, quam in ipsis verbis Domini: v. gr, promiserit quis alteri, se dono ipsi daturum adamantem magni pretii, & postea porrecto annulo aureo dicat, *accipe, hoc est adamas* ille pretiosissimus, quem promisi, nemo, qui annulum porrigi viderit, hunc sibi formabit conceptum: *accipe, quicquid te accipere jubeo, est ille magni pretii adamas, quem promisi: cum non totum, quod datur & accipi jubetur, adamantem, sed aliquid ejus etiam aurum esse, sensus testentur; sed hunc potius sensum, quisquis adfuerit, animo concipiet: Quod in vel cum hoc annulo porrigitur & accipi jubetur, esse promissum illum adamantem pretiosissimum.*

CLX. *Vorstius* tamen in *Epistolâ 1. ad D. Titium, pag. 350.* objectionem suam allatis exemplis confirmare satagit. Dicit: *Si quis dicat tibi, Quod in hoc poculo est, id est aqua, an tu hoc ita intelliges, quod non omne, quod in poculo est, sit aqua; sed quod præter aquam etiam vinum, lac, aut aliud quiddam in poculo sit? Ego quidem ex talibus non aliud intelligere possum, quam quod quicquid est in poculo, id aqua sit, quodq; præter aquam in poculo nihil sit. Pari modo, si dicatur mihi, Quod in poculo est, id lac est, accipio id ita, quod lac tantum sit in poculo, quodq; omne illud, quod est in poculo, lac sit. Nec aliter, credo, rem accipere aut intelligere poterunt alii. Non cogitabunt, in poculo etiam vinum aut mulsum esse; sed intelligent, tantum lac esse in poculo, & quicquid poculo est, id lac esse.*

CLXI. Verùm hisce allatis exemplis *Vorstius* longissimè à scopo aberrat. Non enim ad præsens quadrat institutum. Nam qui alteri in poculo porrigit aquam, & dicit ei, *Quod in hoc poculo est, id est aqua*, is sanè non aliud in eo porrigit, quam quod verbis adjectis in eo esse & à se porrigi significat. Unde nihil subest causæ, cur quis aquam in poculo esse videns, dicique audiens, *quod in poculo est, esse*

hoc est vinum, signum sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. nemini dubium futurum esset, tantum vinum fuisse in poculo, vel quicquid in poculo fuit, fuisse vinum. Quia autem Dominus, poculo, in quo vinum esse discipulis constabat, porrecto, non dixit *bibite, hoc est vinum,* sed *bibite, hoc est sanguis meus novi testamenti,* vertitur jam quaestionis cardo in eo, an verba Domini, *bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus,* sub his circumstantiis spectata, ita discipuli accipere potuerint, ut quicquid esset in poculo, & bibere ex illo ipsi iuberentur, sanguinem Domini esse intelligerent? Et hoc est, quod consuetudini loquendi aduersari docuimus.

CLXII. Si igitur contrarium Porstius exemplis, ex vulgari usu petitis, docere velit, afferenda ipsi erunt exempla similia, in quibus scilicet etiam aliud datur, idque dari evidens fit & sensibus pateat; verbis adjectis autem aliud dari declaretur: v. g. porrigat quis alteri poculum, in quo aquam esse jam ei constet, & porrigat illud his additis verbis, *bibe, hoc est lac,* vel *hoc est vinum.* Is certe, cui aqua in poculo datur, non ita accipiet verba adjecta, ut quicquid in poculo est, vinum vel lac esse intelligat: cum etiam, aquam in illo esse, jam antea cognitum habeat; sed si ad vulgarem consuetudinem loquendi respexerit, significari intelliget, hanc rem, quae cum eo, quod videtur, h. e. cum aqua, in poculo est & datur, esse lac, aut vinum. Et si nudus suisque naturalibus viribus relictus homo sit, qui poculum cum aqua, additis his verbis, *bibe, hoc est lac,* aut *hoc est vinum,* porrigat, colliget alter porro, vel quod in poculo est & datur, esse mixtum quid ex aqua & vino, aut ex aqua & lacte, vel eum, qui poculum porrigit, ludere verbis adjectis, aut mentiri. Quod enim per naturae vires aqua & vinum, vel aqua & lac sine permixtione & confusione uniri ac in uno poculo simul esse & dari non possint, evidens est. Si vero Christus qui ipsa veritas est, & potentia agendi infinita pollet, ac proinde nec in dicendo falli aut fallere; nec in eo, quod dicit, efficiendo deficere potest: si, inquam, is porrexisset discipulis poculum, in quo aquam esse ipsis liquidò constiterit, & dixisset, *bibite, hoc est lac* aut *hoc est vinum,* verba ejus utique eo sensu fuissent intelligenda, quod quicquid cum hoc, quod videbatur & gustu percipiebatur h. e. cum aqua esset in poculo, lac vel vinum esset, idque verum esse credendum; Sin secus fecissent, & Domino aquam in poculo danti, ac dicenti, *hoc est*

V

lac

lac, vel hoc est vinum, non credidissent, utrumque, *aquam & lac*, vel *aquam & vinum* simul esse & dari in poculo, alterum quidem sensibilibiter, alterum modo ipsius sapientiae soli cognito, & sensibus non obvio, ne discipulorum nomine quidem digni fuissent. Derogassent enim verbis Magistri fidem, vel quòd eum non summè veracem, vel quòd non omnipoentem esse crederent, vel denique quòd modum, quo *aqua & lac*, vel *aqua & vinum*, simul & sine permutatione in uno poculo sint ac dentur, non caperent. Quorum istud & illud impium atq; Christianae fidei adversum; hoc temerarium & à credulitate Christianâ pariter alienum fuisset. Et tantum de hac etiam objectione, quam cæteris nihil solidiorem esse, ex dictis nemo, puto, non animadvertet.

CLXIII. Atque hæc sunt, quæ *Vorstius* ultrò citroque objecit & excepit, ut nec propositionem, Patribus & nonnullis recentioribus Theologis receptam, *panis est corpus Christi*, cum enunciationibus personalibus, *Deus est homo, homo est Deus*; nec ipsa verba Domini, *hoc est corpus meum*, cum locutionibus vulgaribus, quibus v. g. ostenso vase, dicitur, *hoc est vinum*; comparari posse obtineret. Quæ sanè, præter frivolas argutias, tricas & strophas, nihil continent. Quamvis verò adhuc inconcussa & invicta stent, quæ nostrates sive ad prædictam enunciationem Ecclesiasticam, *panis est corpus Christi*, sive ad ipsa verba Domini explicanda aut illustranda adferre & docere solent: nos tamen *Vorstio* ea non obtrudemus, neque si vel illam cum enunciationibus personalibus, vel hæc cum vulgaribus locutionibus exhibitivis comparare recuset, propterea ipsi litem movebimus, modò Christo Domino id nobiscum piâ simplicitate credat, quod verba ipsius, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, ut sonant, & sine detorsione accepta, vel ipsomet iudice, important. Important autem, docente ipso, hanc simplicissimam sententiam: *Quod vos accipere & comedere jubeo, est corpus meum*. Revocamus igitur *Vorstium* ad nostram, ex nudis verbis Domini deductam, probationem, quàm suprâ n. XV. repetitam adscripsimus. Ejus propositionem majorem *Vorstius* concessit ultrò. Minorem verò quæ hæc erat; *Id vel hoc, quod in SS. Cœnâ exhibetur ore corporis manducandum, & à communicantibus accipitur & comeditur, est corpus Christi*, in adjecto prosyllogismo confirmavimus ipsis verbis Domini: *Accipite,*

Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Quæ farentibus *Vorstio* & *Reformatis*, de manducatione propriè dictâ sive orali loquuntur, & hisce æquivalent verbis: *Quod accipere & ore comedere vos iubeo, est corpus meum.* Cui nostræ probationi si insistere *Vorstius* velit, non habebit, quod ampliùs de propositione illâ, *panis est corpus Christi*, e-
jusque comparatione cum propositionibus personalibus, vel de vulgaribus locutionibus exhibitivis, illarumque ad verba Domini accommodatione nobiscum contendat. Si dixerit, nobis omnio docendum esse, quomodo id, quod Dominus accipere & comedere jubet, sit & dicatur corpus ipsius, an sicut in Christi persona Deus est & dicitur homo? an sicut hoc, quod in vulgari usu, quo ostenso vase dicitur, hoc est vinum, vinum est & dicitur? tùm responde-
bimus, modum nos nescire, eumque sapientiæ illius, qui dixit, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, relinquere.

CLXIV. Expendenda supersunt adhuc tria, quæ superiùs n. *LXII.* & *LXIII.* proposuimus, argumenta *Vorstii*, quorum unum à pugna, quæ doctrinæ de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœnâ cum illis Scripturæ locis, quæ Christi corpus finitum, & more cæterorum corporum uno eodemque tempore in loco uno esse testantur; intercedere videtur; reliqua duo ex ratione naturali desumpta sunt. Prætereà de locis Patrum, à *Vorstio* longâ serie objectis, quorum nonnulla superiùs tetigimus, plura dicenda essent. Verùm quia præter opinionem pagellæ longiùs, quàm volueramus, excreverunt, neq; nunc nobis per occupationes alias prolixioribus esse licet, Dissertationis filum hîc abrum pemus, ubi de his, quæ restant, argumentis unum monuerimus; nempe si ea rectè habeant, nihil causæ futurum, cur iis, qui SS. Trinitatis & incarnationis mysteria negant, hæreticis ampliùs obluçtemur. Pugna doctrinæ de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ cum Scripturis constituitur in illis locis, in quibus, Dominus *se non semper nobiscum fore, & terram se relicurum* dixit. Eiusdem pugna cum ratione naturali constituitur in his, quod *corpus Christi* suâ naturâ *visibile, palpabile, & in uno loco sit*, & quod, si accipiatur & comedatur ore, *in nostram substantiam* abire oporteat; cùm tamen in S. Cœnâ illud nec videatur aut palpetur, nec, si in eâ rea li ter adsit, in uno tantùm loco ampliùs sit, nec deinq; quod manducatum in nostræ carnis abeat substantiam,

am, à nobis concedatur. At verò si hæc non simul vera esse possunt, multò major erit ratio, cur in pugnantibus habeantur, quòd *Deum unum*, eumq; *simplicissimum esse* Scripturæ testantur, & quòd *Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum S. Deum*, hosq; *tres realiter distinctas personas esse*, fides Christiana docet: item quòd *Christum verum hominem esse*, eadem tradunt; & tamen ejus *humanitatem humanâ personalitate destitutam, in personâ Dei subsistere, Deum ac hominem personam unam esse*, credimus. Hæc enim & ista rationi sibi relicta majorem videntur repugnantiam involvere, & creditu difficiliora sunt, quàm illa. Quæ enim in illis putatur intercedere pugna, concernit saltem prædicata extrinsecè denominantia, vel certè non simpliciter necessaria, quæ sunt *deseruisse terram*, & cum visum fuerit, *in terrâ adesse; palpabile, visibile, in uno loco esse, & non videri, non palpari, in pluribus locis esse*. Quæ autem in alteris intercedere videtur pugna, concernit prædicata intrinsecè denominantia, & quæ à suo subjecto realiter distingui, aut ab eo abesse ullâ potentiâ posse, ex lumine naturæ cognosci non potest: cujusmodi sunt, *subsistentiæ unitas in unâ Dei essentiâ, subsistentiæ humana in naturâ humanâ, personarum dualitas in naturarum dualitate*. Non enim ratio sibi relicta ullo idoneo argumento docere potest, *subsistentiam realiter ab essentiâ, aut unius simplicis essentiæ tres posse realiter distinctas differre personas esse, aut naturam humanam posse esse sine subsistentiâ humanâ, vel Deum & hominem posse esse unam personam*. Qui vult videat, quæ ante hæc in *Tractatu de usu Princip. rationis in controuv. Theol. lib. I. c. IX, §. XXX. seq. lib. II. c. XIV. §. XV. c. XVI. §. XXXI.* hanc in rem differuimus.

F I N I S.



Coll. diss. A. 203, misc. 27